Tom. [illegible] altro 2 [illegible]

[illegible] Bergom[illegible]

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 C
6

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

57
E
7

N 423.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 C
6

M Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

57
E
7

N 427.

DE VITA ET REBVS GESTIS SANCTORVM BERGOMATVM *COMMENTARII*,

Quos olim a M. Antonio Benalio, immatura morte ſublato, imperfectos relictos,

Io. Antonius Guarnerius Canonicus ex decreto Decurionum Bergomatum quamdiligentiſsimè expoliuit et auxit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

BIBL. SOC. IESV. ... COLL. ROM.



BERGOMI ANNO MDLXXXIIII.

Typis Comini Venturæ, eiuſdem Vrbis typographi.

HONESTISSIMO ET PRAECLARO *DECVRIONVM BERGOMATVM ORDINI*

Io. Antonius Guarnerius Canonicus S.

TAM Ciuitatum, quàm ſingulorum hominum mores eſſe perſpicuum eſt. hinc gentes alias ſermonis lepore, & ingeniorum acumine, dicendiq. copia, alias armorum & rei militaris gloria, alias mercaturæ & quęſtus ſtudio, alias denique alijs artibus florere cernimus. Noſtræ porrò ciuitati, ſi propria laus quęrenda eſt, hoc a ſummo Deo datum videtur, vt pietate & religione præcipuè cæteras gentes nationesq. ſuperaret: neque.n.vllum vſquam eſſe locum, quamuis opulentum, & omnibus rebus copioſum accepimus, vbi habita opum & facultatum ratione, plura & certiora egentibus & pijs hominibus perfugia parata ſint: nam etſi magna pars agri Bergo-

matis, quæ præruptis & aſperis montibus continetur, nihil niſi magno labore quæſitũ ferat: tamen cùm id præcipuè maioribus noſtris propoſitum eſſet, vt euangelicis præceptis obtemperaretur, domos ac familias ſuas proprijs bonis defraudantes, ea in medium contulerunt, quibus & magnificentiſſima templa extruerentur, & ſacerdotibus diuino cultui addictis victus ſuppeditaretur: paupe res inopia leuarentur: ægroti curarentur: puellæ nubiles, quæ inopes digneq. præſidio eſſent, erogata dote in matrimonium collocarentur: qui in carcere incluſi eſſent, aleren tur; mente captis conſuleretur. quæ quidem piorum officiorũ rationes, a maioribus conſtitutæ quo conſilio, qua integritate, qua diligentia adminiſtrentur & cõſeruentur, cùm multi alij tum illud lumen & decus Eccleſiæ Carolus Borrhomæus Cardinalis Sãctæ Praxedis teſtis eſt grauiſſimus. nullum autem acriorem virtutis ſpectatorem & iudicem, aut noſtra, aut patrum noſtrorũ memoria fuiſſe ſciunt hi, qui & hunc & alios Antiſtites longo vſu experti ſunt. Hic cùm hãc Diœceſim

Sum-

Summi Pont. Gregorij xiij. iuſſu inuiſiſſet, non modò horreum illud pauperum & ſubſidium annonæ, cui Miſericordiæ nomen indiderũt, admiratus eſt, & ex ſuſcepto a Bergomatibus officiorum piorũ patrocinio & procuratione magnã lætitiam percepit: ſed etiam compluribus literis, quas Romam miſit, & quotidiana prædicatione, in pietatis exercitatione, & regẽdis ijs rebus primas Bergomatibus detulit. Ea demum ſumma laus eſt, quæ ab eo viro proficiſcitur, cuius ex ore omnia ferme inſtinctu diuino edita putãtur. Cauſſam verò tantæ pietatis ſubtilius inquirenti mihi illa in primis occurrebat, quòd Sanctorum virorum veſtigijs ſtudioſè ſemper maiores veſtri inſtitiſſent. quorum diſciplinam vos quoque, quibus reipub. gubernacula commiſſa ſunt, non ſolùm ſequi, ſed ſanctiſſimis illorum inſtitutis de veſtro aliquid addere ſtatuiſtis: ac proinde, vt rerum geſtarum monumenta eorum ſanctorũ, qui aut ſanguinis effuſione, aut moderatione aliqua, aut præſentia ſua hanc vrbem decorarunt, diligentius elucubrata ederentur, curaſtis:

ſtis: mihiq́; id ōneris impoſitum eſt. id & ſi maius erat, quàm quod ſuſtinere poſſem: tamen id libenter ſuſcepi, non tàm perficiendi ſpe, quàm experiendi deſiderio, an ipſe quoque aliqua in parte memoriæ eorum, qui de hac vrbe optimè meriti ſunt, poſſem conſulere. id primùm à M. Antonio Benalio viro optimo & erudito inchoatum eſt: cuius quidem pietatem magnopere commendandā arbitramur, quòd id primùm aggreſſus ſit: quòdq́ue plurima tenebris & vetuſtate obruta monumenta eruerit, & in lucē protulerit: ſed tamen quòd is ante nobis ereptus eſt, q̈ extrema manus acceſſiſſet: eius opus tātùm à perfectione aberat, vt non ſolùm multa corrigenda, plurima tollenda, alia addenda fuerint, ſed etiam totius rei ordinem mutare coactus ſim: quod ille ſine dubio prę̄ſtitiſſet, ſi longior vitæ curſus contigiſſet. Eò verò maioris ſudoris, & laboris hoc onus extitit, quò difficilius eſt in ædificijs, quod nec ordine nec ratione deſcriptum videmus, emendare, & reconcinnare, quàm a fundamentis condere. quanquam me totum ædificium

de-

demolitum eſſe, eiusq. materia vſum ad nouæ conſtructionis formam potius dicēdum videtur. quantum autem profecerim, qui illius, & mea ſcripta contulerint, facilè cognoſcent: ego quantum laborarim, mihi cōſcius ſum. Vos paruum hoc mei erga uos amoris, & cōmunis erga Sanctos & Patriam pietatis pignus accipite: remq. ſtudio meo potius, qui ad obſequendū vobis promptus fuerim, quàm viribus, quæ imbecillæ ſunt, metimini. viam autem, quæ vobis a maioribus veſtris tradita eſt, quamq. ingreſſi eſtis, perſequimini: animosq. veſtros, quod adhuc feciſtis, ad triumphos sāctorum, ad inſignia laudum, ad rerum geſtarum memoriam reuocate: in officiorum piorum procurationem ſtudioſius incumbite: omnemq. cogitationem in Dei, ac Sanctorum cultu ponite. qui enim Deus ſępe alias vos tutatus eſt; idem etiam in poſterum vos defendet, & quem optatis, rerum veſtrarum exitum dabit. Valete. Datum Bergomi idibus Aprilis. MDLXXXIV.

INDEX SS. VIRORVM, quos auctor hoc libro complexus eſt.

S. Narni Epiſcopi & confeſſoris vita. fol. 3
S. Viatoris Epiſcopi & confeſſoris. 11
S. Romuli Epiſcopi & martyris. 19
S. Alexandri martyris, vrbis Patroni. 31
SS. Lupi confeſſoris, Adleydæ, & Gratæ viduarum, & Heſteriæ virginis & mart. 44
SS. Domneonis, Domnonis martyrum, & Euſebiæ virginis & martyris. 58
SS. Firmi, & Ruſtici martyrum. 60
S. Proiectitij martyris. 74
S. Iacobi martyris. 87
S. Ioannis Epiſcopi & martyris. 97
Beati Adalberti Epiſcopi. 104
Beati Alberti abbatis. 112
De aduentu SS. Franciſci & Dominici in vrbem, vbi agitur de BB. Gualla, & Pinamonte. 121
De aduentu S. Bernardini confeſſoris. 133

SENATVI BERGOMI

PAtres optimi, decreuiſtis, vt M. Antonij Benalij librum vitas Sanctorum Bergomen. continentem legeremus, & quod de eo iudicium noſtrum eſſet, ad Senatum referremus. Legimus librum, & typo excudendum duximus. nobis onus eſt impoſitum: at, qui maxime optamus, ſanctiſſimis Reipub. noſtræ ſtudijs prorſus morem gerere, deſiderio noſtro valde profuturum arbitrati ſumus, ſi examinandũ opus Antonio Guarnerio canonico, latinis, græcisq. literis apprimè erudito commendaremus. vir ille ſummo ſtudio in eo multa ſuſtulit, addidit multa, remq. totã mirificè quidem expoliuit, imo aliam fecit. Comino Venturæ typographo veſtro tradidimus, qui & ipſe cura diligenti enixus eſt, vt characteribus a nobis ſelectis, liber mendis purgatus probatusq. in lucem exiret. ſaxit. D. Opt. Max. vt qui ſanctitate ciuium noſtrorum gloriamur, eorum mores imitati, errata dolentes, ipſorumq. prece veniam aſſecuti in perpetuum viuamus.

Lactantius Marcheſ. & Io. Ant. Suardus I. C.

DE ANTIQVITATIBVS ET REBVS GESTIS DIVORVM BERGOMATVM

Hiſtoriarum

IO. ANTONII GVARNERII

Proœmium.

TANTVM cuique ſtudium celebrandi, ornandiq́ue nominis ſui natura inſitum eſt, vt non modò ſinguli homines ac familiæ, ſed etiam ciuitates, ſi qua occaſio illuſtrandi generis offeratur, eam libenter, auideq́ue arripiant; & vnde quique oriundi, quo ſanguine progeniti ſint, commemorent: maiorumq́ue honores, & merita, & res præclarè geſtas,

vſque ab auis & atauis ſtudioſè perſequantur; tum illorum gloria, quos virtus extulit, & labor & induſtria commendauit, ſuas origines nobiliores faciant. id verò non modò non improbandum, ſed in magna laude ponendum eſt. clarorum enim hominum virtutes imitandas quodammomodò ſibi proponere videntur. ſed ſi in rebus humanis, quarum vtilitas exigua & perbreuis eſt, hoc tanti fit, vt etiam genus ſuum homines nonnunquam ementiti, in aliorum familias irrepſerint: nos noſtræ religionis incunabula, quibus nihil auguſtius eſt, fideique duces; quorum auctoritatem ad ſempiternam gloriam adipiſcendam plurimùm valere cognoſcimus, in tenebris iacere patiemur? id verò minimè committendum eſt: nam cùm noſtræ pietatis initia repetentur, maioresque noſtros neque poſtremos ad fidem ueniſſe, neque ea in re negligentes fuiſſe conſtabit, eò maiorem curam nobis adhibendam intelligemus, vt firmi, ſtabiles, & conſtantes eam tueamur,

ne-

neque temere a veteribus inſtitutis deſciſcamus. plurimùm etiam proderit integritatis, fortitudinis, & caſtitatis documenta in illuſtri poſita monumento intueri: Nam cum veniet in mentem virtutum illorum, verſabunturque ante oculos, quæ illi mirabilia inceptu, mirabiliora exitu geſſerint, nos animos noſtros a rebus infimis ad ſublimia auocabimus: contemnentur res humanæ: negligetur mors: labores & dolores æquo animo perferemus: propulſata denique omni inanitate, ad verum decus, veramque honeſtatem rapiemur. ſed quòd magis illorum facta, quàm verba noſtra ad religionem excitare poſſunt, ijs omiſſis ad illa explicanda noſtra perget oratio: & cùm ea in re omne ſtudium adhibuerimus, ſemper tamen homines maius aliquid, quàm quantùm a nobis exprimetur, animo & mente concipient.

SANCTI NARNI EPISCOPI ET CONFESS. VITA.

COGITANTI mihi ſæpenumero & Summi Rectoris immenſam in genus humanum charitatem ponderanti, cum cætera inexplicabili conſilio ad ſalutem nostram facta et mirifico ordine digeſta eſſe conſtabat; tum illud opus auguſtiſſimum & maximum uiſum eſt: Christū dominum, cùm in cælum exceſſurus eſſet, cōſtitutis ſacerdotibus eam facultatem largitum eſſe, vt in vita humana diuina munera obirent, cæleſteſq; & æternos theſauros alijs diſpenſarent; & quam poteſtatem in cælis neque Angelis neque Archangelis permiſiſſet, eam ſacerdotibus in terris gerendam conceſſiſſe; quodq; haud parui faciendum eſt, eos interpretes inter Deum et homines adhiberi. Felices illos, apud quos tantæ, tamq; inauditæ Dei benignitati ab Eccleſiæ miniſtris aliqua ex parte reſpondetur:

quo

quò enim dignitatis altitudo ſublimior eſt, eò grauiorem perſonam Eccleſiam capeſſentibus imponi perſpicuum eſt; & idcirco cumulatam perfectamq́ virtutem ad præſtandum hoc munus requiri. Exigua eius ſacerdotis laus apud veteres et ſanctos patres ſemper habita eſt, qui ſe tantummodò caſtum integrumq́ ſeruaſſet. quòd niſi immortalitatis amore flagraſſet; niſi præſentium fructuũ deſpicientia clarus curam, cogitationem, vigilias deniq; omnes ad tuendã eorum ſalutem, qui ſibi cõmiſſi erant, contuliſſet; niſi magnitudine pietatis et conſilij, tolerantia rerum humanarum, Chriſtiana humilitate, liberalitate in pauperes, uirtutibus denique omnibus præſtitiſſet, non ſatis idoneus videbatur, qui ampliſſimũ et altiſſimũ hunc dignitatis gradum teneret. Hæc ita ſe habere cum ex multorum ſcriptis, tum præcipue ex S. Narni rebus ſanctiſſimè geſtis facile cognoſci poteſt: quippe qui poſthabitis rebus omnibus & re et oratione docuerit, quid ab ijs, qui ad Eccleſiæ procurationem lecti eſſent, fieri oporteret. Quòd autem primus Antiſtes diuino beneficio nobis conceſſus eſt, nobis propè nefas eſt, ſingularis eius pietatis me-

moriam non alere, morumq́ præſtantiã non continenter intueri. verùm vt citius, quod ſuſcepimus, conficere poßimus, omiſſa noſtra hortatione, ad eius, quem propoſuimus, facta veniamus: hæc enim per ſe non ſolùm iucunda, ſed etiam ſalutaria nobis eſſe poſſunt. Barnabæ Apoſtolo Chriſtianæ religionis originem Mediolanenſes, Bergomates & Brixiani ſe debere profitentur, et ſecundum dominum Ieſum, ſuæ ſalutis initium ad eum referunt auctorem. nam cùm Barnabas Antiochenſes et Cyprios partim ad fidem conuertiſſet, partim credentes firmaſſet, tandẽ in Italiam uenit; & cùm fidei fundamenta Mediolani ieciſſet, Bergomum ſe recepit. huius monitis & cohortationibus plurimi Bergomates ſe ad fidem contulerunt. Barnabam anno a Chriſti Natali die xlv. Bergomi conſtitiſſe quidam auctores ſunt. ſed ſi quis epiſtolam, quam S. Paullus ad Galat. ſcribit, paullò accuratius perſpexerit, fieri non poſſe comperiet, vt in Italiam Barnabas id temporis acceſſerit. is enim cũ Paullo Apoſtolatus ſocietate iunctus, multas prius regiones tranſmarinas prædicando et docendo peragrauit, gentibusq́ illis Euan ge-

gelium diſſeminauit demum cùm a Chriſti morte anni fermè x v. ab Apoſtoli conuerſione xiiij. interceßiſſent, Hieroſolymã a Paullo, qui iterum eò proficiſcebatur, adductus eſt. ad eã diem Barnabam in Italiam veniſſe, nuſquam, quod cognouerimus, memoriæ proditũ eſt. quin cùm à Paullo digreſſus eſt, Cyprum ſtatim eũ petiſſe in actis Apoſtolorũ traditur. itaque relinquitur, vt non prius, quàm anno a Chriſti natali die xlviij. ex illis oris ſoluiſſe & in Italiã traieciſſe concludatur. Erat Narnus Bergomas grauitate, officio, & modeſtia ſpectatißimus. ab eius nominis uico, qui propter Serium amnem ſitus vetuſtate extinctus eſt, et ortum et nomen habuiſſe fertur. is cum eſſet peracri ingenio, ſtudio flagranti, & doctrina ſingulari, S. Barnabæ prædicatione cõmotus perueſtigandæ pietatis Chriſtianæ veritati ſe dedidit: cumq́; multa a S. Barnaba percepiſſet; multa, quantũ tempus patiebatur, quæſiuiſſet, tantum profecit, vt non ſolum reliquis omnibus Bergomatibus in rerum diuinarũ ſcientia eum Barnabas anteferret, ſed etiam paſtoralem procurationẽ Bergomatis gregis, quem nuper fidei

Chri-

Chriſtianæ rudimẽtis inſtruxerat, committẽdum cenſeret. Narnus iam legem erroris legi ſpiritus aduerſantem reprimere, & animo a terra longiſſimè elatus cælum ſpectare aſſueuerat: diuinaq; cum diuinis ſic conferre ceperat, vt figurarum et veritatis conueniẽtiam optimè teneret, illisq; relictis, ad hanc ſe applicaret; tum vetuſtate literæ reiecta, ſpiritus nouitati inſeruiret. Hæc etſi ita eſſent, tamen ipſe nõ ſatis ſe mẽtem purgaſſe ſibi perſuadebat; & non modo in arcanos et inæſtimabiles Dei theſauros nõ penetraſſe ſibi videbatur, ſed diuinas res primoribus tantum labris attigiſſe, iccircoq. lacte egere arbitrabatur. His rebus adductus, hoc onus diutiſſimè recuſauit. ad hanc ſententiam cum reliquis cauſis hæc quoque ratio eum deduxit, quòd ſine multa tractatione omnium rerum diuinarum atque humanarum, ſine ſumma prudentia et pietate Antiſtitem non ſatis rectè in hac negocij ratione verſari poſſe exiſtimabat. longè item perſpiciebat, quæ moleſtiæ deuorãdæ, quæ tempeſtates ſubeundæ, quæ tyrãnorum dominationes perferẽdæ eſſent: ijs enim religionis dignitatem poſteriorem ſuis cupiditatibus

et domeſticis commodis fermè ſemper fore diuinabat. Quòdq. eorum ratio, qui Eccleſiam adminiſtrant, non veritate ſolum, ſed etiam fama niteretur, omnes ſuſpiciones vitandas intelligebat: præſertim cùm ab obtrectatoribus ſæpe falſa crimina confingerentur, & pia cōſilia in cōtrariam partem raperētur. Tot tantisq. difficultatibus nequaquam ſe parem eſſe cogitabat. ſummā hanc difficultatem, periculorumq. cautionem Barnabas diſcuſſit, cùm longè alia ratione in Eccleſiæ procuratione rem geri, atque in reliquis adminiſtrationibus demōſtrauit. hic enim ingenij acie et humana prudentia homines freti omnia gubernāt et moderātur: illic verò in ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. docebat etiam cùm Chriſtus Dominus a Petro magno ſtudio ſciſcitatus eſſet, an ſe amaret, trina illa interrogatione ſignificaſſe, nihil æquè ſibi charum et acceptum eſſe, ac ſi quis vocatus regēdarum animarum munus ſuſcepiſſet. Nūquam eum erraturum, ſi antiquorum patrum res geſtas ſibi imitādas putaſſet. Moyſem iiſdem cauſſis adductū rerum Iſraeliticarum gubernationem refugiſſe: perſpecta Dei volūtate, im-

impoſito oneri obediēter ceruicem ſubieciſſe. quāta deinde eſſet vis obediētiæ, oſtendit: quæ et omnium virtutum parens et cuſtos ſemper habita eſſet, & pluris quàm omne ſacrificij genus a Deo æſtimata: neque id immeritò, propterea quòd in ſacrificijs aliena corpora; hic verò propria uoluntas hoſtia cōſtitueretur. quemadmodum, qui in mari fluctibus turbato, duobus cōtrarijs et ſæuis vētis iactantur, tandem ferūtur, quò vehemētior vrget: ſic Narnus qui et delati muneris magnitudinem, et nō recepti culpam perhorreſceret, ancipiti cura diſtractus animo fluctuabat. cùm tandem magis obedientiæ virtute moueretur, inſtāti Barnabæ et cupiēti ceſſit. ſuſcepto munere Paſtorali Narnus in moderando populo Bergomati, fideq. propaganda, totum animum, curam, cogitationemq. poſuit. Rudem, imperitamq. multitudinem a ſuperſtitione abducere, & fidei initijs inſtituere, magni erat negocij: præſertim cùm alij pietatis Chriſtianæ prædicatione ſeditiones excitari, motusq. et cōuerſiones rerum quæri iactarēt: alij inſita ſuperbia et cōtumacia quadam ſingulari, ab Euangelij præceptis diſcreparent: alij ad

euertendam Chriſtianam religionem, delẽdosq. fidei cultores & doctores inhumana crudelitate raperentur. Vehementer amor multitudinis erga ſuos gubernatores commouetur fama et opinione charitatis et morum ſanctitatis: præſertim, ſi iuſtitia et prudentia cæteros anteire exiſtimentur. ijs virtutibus Narnus illuſtris, reliquarumq. rerum contemptu inſignis, apud pios homines ſolus ſapere & intelligere, & de ſempiterna gloria optimè ſentire et loqui, vniq. Bergomatum ſaluti ſtudere uidebatur. quare ſic plurimorum animos ad ſe cõuertit, vt eorum iudicijs & omni amoris ſignificatione floreret. Aptiſsima ſunt arma Præſidum Eccleſiaſticorum, artes, exercitationesq. Euangelici ſermonis. Hic enim teſtis eſt ſummæ Dei in nos charitatis, lux veritatis, vita diſciplinæ, magiſter vitæ, nuncius futuræ felicitatis. Huius diuinis ſentẽtijs Narnus inſtructus diuinæ beneficentiæ magnitudinem illuſtrare: Bergomates ad veram pietatem erudire: elatos reprimere: torpentes excitare: ad ſpem cæleſtis gloriæ cohortari, a vitæ prauitate deterrere: diſparibus tandem hominum morbis diſsimili medicamẽtorum

ge-

genere conſulere. quos inſcitia, aut naturæ imbecillitate peccaſſe apparebat, leniter, clementer, & occultè monere, ſummoq. ſtudio laborare, ne pudoris vlla pars, res ad continendos in officio homines efficaciſſima, in ijs extingueretur: cum fallacibus, malitioſis, & pertinacibus nõnunquam ſeuerè, & grauiter agere, et demonſtrare ſe inuitum & ſumma charitate adductum, victumq. eorum vitijs, ad id genus increpationis deſcendiſſe. interdum conniuere, tempusq. captare, quo hominum improbitati opportunius mederi poſſet: omnes denique omnium rerum, quibus homines ad pietatem excitarentur, rationes noſſe videbatur. Hoc paterno Narni ſtudio creſcebat in dies ſingulos mirum in modũ fidelium numerus, quiq. Barnabæ ductu in Eccleſiam aſciti erant, magnopere gaudebant. verùm quò maiorem auctoritatem Narnus ſibi comparabat, eò magis apud eos, qui a fide abhorrebãt, quiq. multitudinis ſtudium contra concitare nitebantur, offendebat. quorum inſidijs, cùm apertis, tum clandeſtinis, Narnus non ſolùm animosè et conſtanter, ſed conſideratè & prudenter occurrebat. itaque et ſi interdum

cœtus

cœtus publicos celebrabat, ſæpius tamen nocturnos conuentus, ſeductosq. ab inimicorum conſcientia agebat, locaq. abdita & remota ſequebatur. eam ob cauſam, quædam loca humi depreſſa exſtitere, quò frequentes conuenirent, ſecretiusq. de rebus ad fidem pertinentibus agerent. tum primũ quoq. ſacellum in montis vertice, in quo vrbs ſita eſt, non longe ab eo loco, vbi S. Alexandri ædes ccxxxiij. annorum interuallo poſt conſtructa eſt, Narnus ædificandum curauit. id erat ab idololatrarum perturbationibus remotius. poſteri S. Petri nomine Deo conſecrarunt. ibi Bergomates a Deo precibus opem expoſcebãt: ibi Narnus miſſæ ſacrum faciebat: ibi crebra inter ſe colloquia fideles habebant: ibi Narnus concionando ad ſempiternam patriam iter commonſtrabat. hoc ardore charitatis Narnus ſic Bergomatum animos ad pietatis ſtudia incendit, vt eius diſciplina ad multas ætates permanſerit: & ijs temporibus, quæ ſubſecuta ſunt, plurimi diuinarum virtutum præſidio muniti, fortiter & conſtanter mortem oppetere, quàm fidem deſerere maluerint. quare turbulentis illis perſecutionum tempeſtatibus, alij

hor-

horribilem in modum per vrbem raptati, alij ſitu, ſqualore, & intolerabilis pœdoris fœditate confecti, alij virgis cæſi, aut fuſtibus contuſi aut diſcerpti, alii aliorum ſuppliciorum inauditas crudelitates perpeſsi æternæ gloriæ mercedem tulerunt.

Narnus cùm multos annos Bergomatem Eccleſiam ſanctiſsimè rexiſſet, quanquam ætate iam ingraueſcebat: tamen in precibus, ieiuniis, vigiliis, aliisq. pietatis officiis Deo ſeruiebat, ſpeciēq. ueri Paſtoris, quam S. Paullus epiſtolis ad Timotheū et Titū ſcriptis amplexus eſt, uitæ ſanctitate et doctrina exprimebat. Tantum verò abfuit, vt vlli ſe oneri ſubduceret, vt ad reliquos labores, peregrinationes quoque adderet. quamuis enim corporis uires affectæ eſſent: tantus tamen pietatis amor inſitus erat, vt viros locaq. longinqua, quæ ſanctitate & religione nobilitata erant, inuiſeret. non multo poſt Chriſti mortem Iacobus Maior Apoſtolus Herodis iuſſu interſectus eſt. cuius corpus eius ipſius Iacobi diſcipuli ſurripuerunt, & in nauem impoſuerunt. inde cùm ſe mari cōmiſiſſēt, in Hiſpaniam delati ſunt. ibi corpus expoſuerunt, & Compoſtellæ collocarunt. magnificentiſ-

ſi-

ſimum ſtatim templum ei extructum eſt: quod cũ ſumma celebritate et religione coleretur, id Narnum obijſſe tradunt. ſanctiſſimas eius Apoſtoli reliquias veneratus in patriam reuerſus eſt: inde ætate grauis, et locorum longinquitate, uiarumq. aſperitate defeſſus, in grauem morbum incidit. Eodem tempore Viator Epiſcopus egregia pietate, et admiranda, diuinaq. virtute præditus Brixienſi Eccleſiæ praerat, Brixienſiumq́; magnam multitudinem ad fidem perduxerat. is cum Narno neceßitudine & familiaritate, tum ſtudiorum ſimilitudine coniunctus erat. ad quem cùm Narnum exacta iam ætate periculoſa eſſe valetudine allatum eſſet, Bergomum venire maturauit. eius aduentu Narnus magnopere lætatus eſt. quamuis enim vi morbi corpus erat oppreſſum, tamen extremum mentis ſenſum ad Eccleſiæ Bergomatis memoriam retinebat, omniaq. quæ ei profutura eſſent, animo circumſpectabat. itaq. cùm ſe paullulum erexiſſet, dextera porrecta, opportunè, inquit, ad nos accedis optime Viator. inſtat enim tempus, quo ex hoc carcere illuc demigrem, vbi nihil caducum et mortale reperitur. ad cumulandum

dum

dum id gaudium, quod iam animo præcipio, nihil tam deeſt, quàm vt ſciam eum mihi ſucceſſurum, qui fluitantem adhuc Bergomatis Eccleſiæ nauem tempeſtatibus aduerſariorum gubernare, & ſaluam in portu collocare poſsit. Quæ proſpera tibi ac reipub. Brixienſi euenere, ea diuinæ gratiæ in te collatæ omnes aſsignant. tranquillo illic mari nō ſolùm Latinus tuus familiaris pietatis ſtudijs ab ineunte ætate imbutus, ſed quilibet alius gubernare poſsit. Hic verò, vbi tempeſtas adhuc ſæuit, ſumma cura prouidendum, et præcauendum eſt, ne nauis vento rapta, procellis ſubmergatur. non ſolum Brixienſi, ſed vniuerſæ Eccleſiæ te natum eſſe meminiſſe debes. cùm Petrus Apoſtolorum princeps, ſe magis humanæ ſocietati profuturum cerneret, ſi Romam petijſſet, conſtituta Eccleſia Antiochena, illuc demigrauit; neque fuit quidquam tam aſperum, tamq. arduum, quod cœptum illius moraretur. Tantus vir, tam cumulatus omni gratiarum genere, recenti exemplo, tibi documento eſſe debet, vt Bergomatis gregis cuſtodiam ſuſcipias. quò maior erit ouium numerus, quò magis retia præ multitudine piſcium ſcinden-

tur, eò uberiorem mercedem a Deo conſequere. & fidei tẽpora hoc poſtulant, & Eccleſiæ maxime intereſt, hanc urbem talem præſidem habere; qui, quod tu Brixiæ optimè præſtitiſti, et ſpicas a lolio purgare; vulpes a vineis, et lupos ab ouibus arcere poſſit. quod cum ipſi populo Bergomati, cuius res agitur, hoc ſalutare erit, tum mihi certè, quem ad prædicendũ aliquid diuinatio haud fallax impellit, gratiſſimũ: nam te illud monitum etiã atq. etiam uolo, animos noſtros neſcio, quo diuino conſilio tum magis vigere et vera cernere, cùm corporibus exceſſuri ſunt, quàm cũ diuturna communis lucis vſura eis ſupereſt. quare animus meus, qui nũc a corpore auocatur, maximus ad hoc tempus vates nõ ſolũ præſagit hanc eſſe diuinæ Maieſtatis voluntatẽ, ſed etiã præcinit: cui reſiſtere minime tutũ ẽ. ſi te diuino numini paruiſſe, et pio huic meo ſtudio obſecutũ eſſe ſenſero, æquiſſimo aĩo hinc decedã. Hac audita oratione ſtupor Viatorẽ defixit. Brixiẽſes n. deſerere, quorum ingẽtem numerum ſummo labore et periculo a falſæ religionis cæcitate, abſtractum vnicè diligebat, ei magnũ ac difficile erat; tum noua onera ſemper ſuſcipere, Petri aut

Pau

Pauli alicuius eſſe putabat: qui oĩa oĩbus fiebant, vt omnes Deo adiungerent. adiuuabat hoc conſilium, quod Narnus quoq. ita Epiſcopatũ geſſerat, vt cuique ſuccedenti nõ facilis fauor futurus eſſet. rurſus negare ei, quẽ ſummopere vereretur, præſertim Dei verbis petenti, et ſalutẽ ouium in periculo verſantiũ quærenti, durũ admodum uidebãtur. Hæc res cùm Viatorẽ incertum, ſolicitũq. haberet: tandem & auctoritate viri, & inueterata pietatis & ſapientiæ fama cõmotus ſe facturum, quod Narnus rogaſſet, pollicetur: Narnumq. cohortatur, vt bono ſit animo: quippe qui tanquam ex longa & turbulenta nauigatione in portũ eſſet venturus, laborumq. & periculorũ præmia percepturus. Interim gemitus ingẽs oĩum circumſtantiũ exortus eſt: cũ Narnus extremũ ſpũm redditurus, lacrymas mittite, inquit, atq. hæc ſuprema mentibus ueſtris mãdate: ut Viatori obtẽperetis uos hortor, quem uos nullo modò deſerturum certò ſcio, et oẽs uelut vnũ corpus in cõe cõſentiatis: ille capitis uos membrorũ uicẽ præſtetis. quòd ſi in unũ cõſulatis, fides quotidie magis coaleſcet, nec aduerſus cõſentientes ullus impius aut idololatra ſatis erit uali

 dus:

dus: diſſenſiones autem aduerſantibus, & inſidiantibus maximè opportunæ ſunt. Has velut parentis voces cùm audirent, manare omnibus mœrore lacrymæ. Paulò poſt Narnus ad cælum erectis oculis, cogitationeq. ad Deum intenta ſpiritum reddidit, anno a Chriſto nato LXXV. ſi ſuperiorum ſcriptorum auctoritate ſtādum ſit, eum XXX. annos Eccleſiæ Bergomati præfuiſſe dicemus. ſi ſubductam temporum rationem ſequi malimus, eum hoc temporis ſpacium non expleſſe credemus. hunc cùm fideles diu multumq. luxiſſent, in ſacello, quod exſtruxerat, ſepelierunt. cùm aliorum miraculorum magnitudine, tum curationum gloria Deus eius ſanctitatem teſtatiſſimam eſſe voluit. in ſepulcro, vbi erat conditus aqua iugis manabat: quæ neque ſolito magis augeretur, aut ſuperfunderetur, neque hauſta minueretur: hanc ſiqui grauioribus morbis affecti ebibiſſent, ſtatim recreabantur. Huius rei Cremenſis mulier inſigne documentum proximè dedit: quæ oculis capta, cùm ad S. Narni ſepulcrum adducta eſſet, aqua hauſta, lotisq. oculis, aſpectum, quem amiſerat, recepit.

SANCTI VIATORIS EPISCOPI ET CONFESSORIS VITA.

AD Excipiendam diuinam gratiam, quæ ſeſe nobis quotidie offert, obtinendamq. & adipiſcendam ſempiternam ſalutem nihil nos æquè adducit, ac ſi rerum humanarum naturam expendamus, breuemq. et inſtabilem earum fructum cum cæleſtis felicitatis æternitate conferamus. hæc vna cogitatio maximè intolerandam hominum inſolẽtiam reprimere, effrænatas cupiditates coercere, & ad optimã Chriſti diſciplinam erudire poteſt. Etenim ſummum illud bonum, quod nos beatos efficit, perpetuitate maximè definitur. quis igitur collatis rebus cæleſtibus atque terreſtribus corporis vires, pulchritudinem, voluptates, opes, honores, gloriã, diuitias in bonis rebus numerandas ducet, cũ nihil horum ſit, quod exploratum habeamus permanſurum ne vnum quidem diem? hæc enim affluũt,

et dilabuntur, nec diutius vno et eodem ſtatu eſſe poſſunt. quæ igitur a natura monemur ſi quis audit, resq. humanas breues, incertas, caducas, fugacesq. eſſe perſpicit, ab earum cogitatione ad cælestium contemplationem, quæ ſtabiles & ſempiternæ ſunt, animum refert; illuſtratusq. diuina gratia, uetere homine depoſito, nouum induit: quæ fallaci iudicio ſuſpiciebat, contemnit: de ſe humiliter ſentit: honores non modò non aucupatur, quod temerarij et audacis eſt, ſed ſi iudicio, ſtudioq. bonorum deferantur, inuitus cunctabundusq. ſuſcipit: qui prius aliena expetebat, propria egentibus dilargitur: tum in Dei cultu puriſſimaq. religioneq. ſpeq; futuræ felicitatis conquieſcit. totius huius rei expreſſam formam in moribus & vita S. Viatoris licet cernere, ſed altius ordiendū eſt.

Viator Brixiæ nobilibus eſt ortus parentibus. is excellenti ingenij magnitudine et præclara eruditione ornatus cùm primum è pueris exceßit, commendationem a modeſtia et temperantia duxit. in ciuilibus officijs eius induſtria maxime viguit. florente verò iuuenta & ſi res ingentes ſpe, & cogitatione complexus erat: tamen cum ali-

quan-

quando animum a ciuilibus & domeſticis nego-cijs ſeuocaſſet, ſecumq. eſſe coegiſſet, rerumq. naturam & generis humani imbecillitatem diu multumq. ſecum conſideraſſet, plurimùm ſe aliosq. qui in rebus fluxis & fragilibus ſpem collocarent, errare intellexit. animaduertebat enim humanarum cupiditatum ſitim neq; gloria, neq; diuitijs, neq; voluptatibus, neque honoribus expleri poſſe: quæ vt ex ſententia ſuccederent, tamen ſæpe aut viuentibus videntibusq. poſſeſſoribus in aduerſa mutarentur, et quò altius elati eſſent, eò fœdius corruerent: aut confecto tandem exiguæ huius vitæ curſu, ijs cedendum eſſet: et qui nullis poſſeſſionum terminis contenti erãt, horum vnumquemq. in ſepulcrum illatum uix quatuor cubitorum ſpacium obtinere oculis ipſis cernebat. Cùm ijs curis Viator agitaretur, ſeq; interim ad cæleſtem gloriã natum eſſe, et a Deo multa inſtrumenta ad eam conſequendam habere ſentiret: omnia iucunda ei ſuſpecta eſſe cœperunt, & quæ ab alijs ampliſſima ducuntur, ſordere, iamq. quæ ad Deum adducũt, et ſi ardua et difficilia viderẽtur, cordi erant. huc acceſſit, quòd non temerè, ſed diuinitus ſibi Viatoris

toris nomen impoſitum arbitrabatur: humanam enim hãc vitam viæ nomine a Dauide iterum ac ſæpius ſignificatam perceperat: cuius rei rationem quò magis cũ viatoris inſtitutis tacitus cõferebat, eò euidentius congruere videbat. nam vt viatori itineris initium eſt, cùm domo proficiſcitur, finis verò, cùm eò, quò conſtitutum eſt, peruenit: ſic homo cum in lucem editus eſt, vitæ viam inchoat, conficit verò cùm corpore in ſepulcro condito, anima in alias ſedes excipitur. vt iter plurimis hoſpitijs; ſic humana vita ætatibus diſtincta eſt. ſicuti viator, cùm iter difficile inſtat, ſe a grauioribus oneribus expedit, nihilq. ſecum vltra neceſſarium vſum ſumit: ſic qui arctam iuſtorum viam pergens, anguſtam cæli portam facilè intraturus eſt, ſolutus a cupiditatum pondere, liber a peccatorum ſarcinis ſit, oportet. nõ moratur viator, ſed diẽ ac noctem iter continuat, vixq. quod ad naturalem neceßitatem ſatis ſit, quieti tribuit; nec ad ea loca, quæ præterijt, retorquet oculos: verùm a fronte & a lateribus, ne circumueniatur, omni cura prouidet: itidem homo ſtatim atque ex materna aluo prodijt, quibuſcunq. in rebus verſatur, ætate progre-

greditur: a tergo tempus, quod vixit, relinquit, nec ad præteritam diem, ſi optet, reuerti poteſt: ſollicitusq. pertimeſcendum videt, ne in inſidias a cõi hoſte ſtructas incautus ruat. quin eò etiã deteriore cõditione uulgo creditur, quàm viator, quòd ille quò plus viæ confecit, eò minus laboris ſupereſſe lætatur, & vbi cõſiſtat, ſtatuit: hic verò quantum ætate proceſſit, tantum de vita perdidiſſe exiſtimatur; tum præteritorum annorum numero, quos ſe habere falsò dicit, vitam ſuam præpoſterè metitur, neque ei exploratum eſt, quantum temporis ad viuendum, reliquum ſit: & propterea ei excubandum eſt, ne inopinanti & imparato vltima dies obrepat. quemadmodum Viator, ſi optimi hoſpitij ſpes oſtendatur, via & confragoſa & lubrica, alacri animo iter facit, & quamuis aquis, aut limo immergatur, ægreq. feſſa trahat membra: tamen laboris tædio non ſubſiſtit, ſed & corpus animo & animum ſpe futuri ſolatij ſuſtentat: non ſecus qui ſpe & ſtudio cæleſtium manſionum ducitur, tanta lætitia futuræ felicitatis effertur, vt ſi religionis Chriſtianæ nomine contumelijs exagitetur, ſi omnibus ignominijs appetatur,

D ſi for-

ſi fortunis: exſilio capite deniq. mulctetur, non ſolùm non cadat animo, ſed quæ alij acerbiſsima exſtimant, hæc illi iucundiſsima accidant. ijs ferme diebus, quibus Viator ſe totum in has cogitationes contulerat, accidit, ut in æde D. Petri, quæ Brixiæ in monte Olíueto poſita eſt, Miſſæ ſacrificio intereſſet: tum forte illud, quod ad Hebræos Paulus ſcripſerat, pronuntiatum eſt: Nos ciuitatē hic nullam firmam & permanentem habere, ſed futuram perquirere: quibus auditis Viator vehementer commotus à via lata, quæ homines in huius mundi cogitationibus inaniter remoratur, & demum fert ad ſempiternum exitium, penitus deflectendum exiſtimauit, Chriſtiq; præceptis, qui ſe viam, veritatem, et uitam nominauit, inſiſtendum. Mens humana etſi acie ſua plurima alia cernit: tamen niſi ſacrarum literarum cognitionem tamquam ſpeculū adhibeat, ſe ipſam intueri nō poteſt. quare Viator, vt ſe ipſum perſpiceret, totumq; tētaret, diuinæ doctrinæ ſtudijs toto animo ſe dedidit. Hinc cognitis noſtris ærumnis: quorū res primorum parentum temeritate euerſæ erant; perſpectaq; ſumma Dei charitate, qui per vnigenitum

tum

tum filium ſuum, chirographum nobis contrarium deleuiſſet, affixiſſetq; cruci, et victrice eiuſdem filij dextra, pulſo hoſte, non ſolum acceptas clades reparaſſet, ſed etiam in veram libertatem vindicaſſet: magna cura operandi ſalutem ſuam cum timore & tremore ei iniecta eſt. animo ad renouationem interioris hominis adiecto, in primis humilitati, manſuetudini, et patientiæ ſtuduit. cum doctrina animi manſuetudinem humilitatemq. coniunxit. Ad expiandam animam magnum ille ſibi aditũ comparat, qui a ſenſuum voluptatibus auerſus ſe in piæ tranquillitatis ſtudium tradit: qui enim auribus ſuauitatẽ excludit; aſpernatur oculis colorum & formarum venuſtatem; odoris, tactus, ſaporis illecebris, quod difficile eſt, iter obſepit, is ſæculi oblitus ad Dei contemplationem aſcendere facilè poteſt. ea re cognita Viator cũ corporis obſequiũ & indulgentiam ſibi prorſus denegaſſet, in ieiunijs, vigilijs, precibus, & rerum cæleſtium meditatione ſe exercebat, ſeq; in pauperes liberaliter gerebat; omnemq. curam & operam ponebat, vt diuinæ gratiæ munere dignum aliquid ſemper cogitaret et faceret. præclaras has virtutes ador-

nabat habitus non horridus, non cultus munditijs, ſed moderatus & viro religioſo decorus: fit enim plerunque, vt veſtitus mediocritate temperati mentis ſenſus indicentur. Eo tempore Anathalon Brixienſem Eccleſiã adminiſtrabat, Narnus Bergomatem, vterque ſimul religione, doctrina & vitæ ſanctitate illuſtris. ij tantum mutui inter ſe amoris ardorem conceperant, vt alter alterum non ſolum obſeruaret, ſed etiam veneraretur. crebri nuntij et ſalutationes vtrinque mittebantur, & vtriuſque familiares vltro citroquè commeabant. in ijs Viator cùm hoc nomine Bergomum veniſſet, vt propius Narni pietatem, ſacrarum literarũ ſcientiam, ſanctitatemq. uitæ præſens deguſtauit, tanto eius ſtudio incenſus eſt, vt ab eo diuelli non poſſet. itidem Narnus Viatoris modeſtia & doctrina delectatus eſt. Erat hoc in more poſitum, inſtitutoq. veterum Patrum, vt cùm in neceſſariorum ſuorum congreſſum colloquiumq. venirent, eos conſiliis ab obtinendã ſalutẽ idoneis inſtruerent: & quæ beneuolè à patribus dicerẽtur, ab ijs amicè acciperentur. Quare Narnus Viatorem Bergomo diſcedentẽ oratione ſtudij & pietatis

tis plena ſæpius commonuit, ne in via Dei ſatis ſe profeciſſe ſibi perſuaderet. primùm.n. qui in rebus diuinis non progrederetur, regredi: deinde non ex inſtitutis actionibus, ſed ex perpetuitate, & perſeuerantia vſque ad finem ſpectandos eſſe fideles. plurimos fidei viam ingreſſos eſſe, ſed qui in propoſito ſuſceptoq. conſilio perſtitiſſent, ſeq. conſtantes, firmos, ac ſtabiles in retinendis Dei præceptis præſtitiſſent, paucos inueniri. vt medicinæ ars in duas partes diuideretur, alteraq. morbos curaret, altera bonam valetudinem tueretur: ſic gratiæ duo eſſe genera, quarum altera cupiditatũ fœditatem demeret, altera in perſeuerantiæ ſtudio retineret in fidei virtute non eſſe claudicandum. magnam ſibi ruinam illum ſtruere, qui cùm ſe in fidelium communionem contuliſſet, ſe tamen ſtuprorum flagitiorumq. aliorum maculis inquinaret. qui verè in fide perſeueraret, eum, ſi leuia peccata vitare non poſſet, in mortifera non facile delapſurum: fidem enim eam eſſe, quæ per delectionem operaretur: qui verò Deum & proximum diligeret, nunquam ea commiſſurum, quæ eis, quos diligeret, diſplicerent. eum in ſuſcepta cauſa facile permanſurum, omneſq.

nabat habitus non horridus, non cultus mundi-tijs, ſed moderatus & viro religioſo decorus: fit enim plerumque, vt veſtitus mediocritate tempe-rati mentis ſenſus indicentur. Eo tempore Ana-thalon Brixienſem Eccleſiã adminiſtrabat, Nar-nus Bergomatem, vterque ſimul religione, doctri-na & vitæ ſanctitate illuſtris. ij tantum mutui in-ter ſe amoris ardorem conceperant, vt alter alte-rum non ſolum obſeruaret, ſed etiam veneraretur. crebri nuntij et ſalutationes vtrinque mitteban-tur, & vtriuſque familiares vltro citroquè com-meabant. in ijs Viator cùm hoc nomine Bergo-mum veniſſet, vt propius Narni pietatem, ſacra-rum literarũ ſcientiam, ſanctitatemq. vitæ præſens deguſtauit, tanto eius ſtudio incenſus eſt, vt ab eo diuelli non poſſet. itidem Narnus Viatoris mode-ſtia & doctrina delectatus eſt. Erat hoc in more poſitum, inſtitutoq. veterum Patrum, vt cùm in neceſſariorum ſuorum congreſſum colloquiumq. venirent, eos conſiliis ab obtinendã ſalutẽ idoneis inſtruerent: & quæ beneuolè à patribus dicerẽtur, ab ijs amicè acciperentur. Quare Narnus Viato-rem Bergomo diſcedentẽ oratione ſtudij & pieta-

tis

tis plena ſæpius commonuit, ne in via Dei ſatis ſe profeciſſe ſibi perſuaderet. primùm.n. qui in rebus diuinis non progrederetur, regredi: deinde non ex inſtitutis actionibus, ſed ex perpetuitate, & perſeuerantia vſqùe ad finem ſpectandos eſſe fideles. plurimos fidei viam ingreſſos eſſe, ſed qui in propoſito ſuſceptoq. conſilio perſtitiſſent, ſeq. conſtantes, firmos, ac ſtabiles in retinendis Dei præceptis præſtitiſſent, paucos inueniri. vt medicinæ ars in duas partes diuideretur, alteraq. morbos curaret, altera bonam valetudinem tueretur: ſic gratiæ duo eſſe genera, quarum altera cupiditatū fœditatem demeret, altera in perſeuerantiæ ſtudio retineret in fidei virtute non eſſe claudicandum. magnam ſibi ruinam illum ſtruere, qui cùm ſe in fidelium communionem contuliſſet, ſe tamen ſtuprorum flagitiorumq. aliorum maculis inquinaret. qui verè in fide perſeueraret, eum, ſi leuia peccata vitare non poſſet, in mortifera non facile delapſurum: fidem enim eam eſſe, quæ per delectionem operaretur: qui verò Deum & proximum diligeret, nunquam ea commiſſurum, quæ eis, quos diligeret, diſplicerent. eum in ſuſcepta cauſa facile permanſurum, omneſq.

neſq. tempeſtates, quæ turbulentiſſimæ Dei ſeruis impenderent, ſuperaturum, ſi ſemper de ſua ſalute ſolicitus pertimeſceret, nihilq. viribus ſuis, plurimùm Dei auxilio confideret, magnitudinemq. mercedis, quæ proponeretur, ante oculos ſtatueret. iis monitionibus eum ab ſe dimiſit. Interim Brixiæ in demortui Anathalonis locum Elateus ſubſtitutus eſt. is cùm triennium Eccleſiæ Brixienſi præfuiſſet, vita exceſſit. populus verò Brixienſis etſi minimè anceps erat, quemnam ſuperioribus duobus, qui Epiſcopatus honore ſanctè perfuncti erant, ſufficeret: tamen cùm tanta res ageretur, pias preces prius adhibuit. tandem diuino ſpiritu afflatus in Elatei locum Viatorem inuitum et repugnantem ſeq. hoc honore indigniſſimum clamitantem legit. Brixia totius Italiæ inſtituto nondũ idolorum ſuperſtitionem penitus abiecerat. veteres & prauos ritus maxima pars retinebat. qui ſe ad Chriſtum conuerterant, inuidia et odio reliquorum premebantur. qui rerum potiebantur, Chriſtiano nomini infenſi erant. tot tantisq. obiectis difficultatibus, cunctanter et remiſſè pietatis Chriſtianæ cauſa agebatur, & ſuppliciorum metus

tus

tus multorum ſtudia tardabat, clamq. et occultè ſacra faciendi ratio inibatur. Tum Brixiæ vnum tantum ſacellum cōſtructum fuerat. id in monte, quem oliuetum appellant, ſitum erat: poſteri S. Petri appellatione Deo conſecrarunt. ibi Viator frequens erat, et præter quàm quòd ſacramenta ritè conficiebat, & religiosè adminiſtrabat, populum etiā Brixienſem ijs rebus et inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiebat; à vitijs reuocabat, ad virtutem pietatemq. incitabat. magni quidem refert Paſtorem verborum ſplendore et ſententiarum copia et in ſpem regni cæleſtis, et in metum æterni ſupplicij populum concitare poſſe: ſed haud ſcio an maioris mom̄eti ſit paſtorem eodem ipſo uirtutū ſtudio inflāmatū uideri, ad quas alios cupit adducere. neque enim is facile perficiet, vt quiſpiam pecunias ſuas in ſuſtentandos pauperes eroget, ſi ipſe diuitijs inhiat, et nummos auariſſimè congerat: neque vt aliis ignoſcat, & illatas iniurias æquo animo ferat, ſi ipſum flagrantem odio ante uiderit. quare Viatoris orationi magna vis ad permouendos animos inerat, quòd ipſe erat omnibus clementiæ, et liberalitatis exemplum, nèmoq.

moq. illo in ciuitate integrior; nemo patientior, nemo ſanctior habebatur. accidebat præterea ſæpenumero, vt quæ ab eo fierent, aut dicerentur, inſignibus miraculis nobilitarentur. Etſi Viator religionis præſtantia clarus et auctoritate grauis erat, ſermonesq. tota Gallia Ciſalpina de ſumma eius pietate increbuerant; tantum tamen aberat, vt genus vllum laudis & prædicationis optaret, vt etiam magnorum in ſuos ciues famam meritorũ omni ſtudio comprimeret, atq. ex fidei propagatione ſolùm lætitiam voluptatemq. caperet. dum hæc ita gererentur, Narnum ætate & morbo confectum eſſe, ad eum allatum eſt. ea re audita Viator, cuius facultas cum alios, tum præcipuè ægrotos conſolandi ſumma erat, laborantem amicum & vicinum Epiſcopum inuiſit, piaq. oratione & ſacramentorum epulis ſuſtentauit. præclara hæc officia, quæ Dei conſeruis antiqui Antiſtites præſtabant, erant certiſſima argumenta et indicia eius pietatis, qua communem et cæleſtem Dominum colebant. ob eam cauſam et veterum monumentis conſacrata ſunt, & ætate noſtra a piis Mediolanenſis prouinciæ Epiſcopis, auctore Carolo Borromeo

rhomeo Cardinali, et Archiepiſcopo, uiro grauiſſimo et ſanctiſſimo et omni honore et laude digniſſ. in conſuetudinem reuocata ſunt. Viator, qui cùm amici Antiſtitis officio functus eſſet, ſe ſtatim Brixiam reuerſurum putabat, victus Narni precibus Bergomatem prouinciam ſuſcepit, vinciq. vtiliter, quàm cum vllo Eccleſiæ incommodo vincere ſatius eſſe exiſtimauit. mortuo Narno cùm tanti fletus gemitusq. fierent, vt complures dies acerbiſſimus tota vrbe luctus verſaretur, Viator huiuſmodi oratione inueteraſcenti Bergomatum dolori mederi conatus eſt. S. Narni interitum, inquit, vos grauiter tuliſſe non modò non ſum miratus, ſed pietatē et ſtudium veſtrum ſumma laude cumulandum exiſtimaui: magno enim fructu & publico, et domeſtico eius morte priuati eſtis. qui vero fieri potuit, quin eius vobis mors acerba accideret, cuius vita periucunda ac fructuoſa fuiſſet? et Dauidem Ionatam, & Iacobum Ioſephum filium, & Iudæos Moyſem & Samuelem, denique Ieſum Dominum Lazarum luxiſſe legimus. officio & naturæ ſeruiendum eſt: ſed vt alijs modum lacrymis ſtatuere vtile, ſic vobis neceſſe eſt.

E *nam*

nam & ſi primi parentis peccatum nos omnes mortis legibus obſtrinxit, tamen Dei beneficio factum eſt, vt piorum animæ cùm ex corporibus euaſiſſent, non ſolùm non interirent, ſed ad meliora proficiſſerentur; & cùm in cælum perueniſſent, tum denique vitam illam, quæ ſola vita appellanda eſt, degerent. hoc cùm Dauides longe proſpiceret, hanc in vita manſionem diutius protrahi dolebat, Pauluſq. corporis diſſolutionem auidiſsimè expetebat. ergo ſanctiſsimi hi viri hanc morā, qua curſus ad piorum ſedes impediretur, deplorabant; vos eius Antiſtitis, qui ſalutariter vobis præfuit, et nunc Dei conſpectu glorioſè fruitur, deceſſu angemini? ſunt hæc non amicorum, ſed eorum, qui morientium felicitatem non ſatis Chriſtiano animo interpretantur, & futuræ reſurrectioni diffidere videntur. cur vos ab ijs rebus animos & cogitationes non auocatis? cur non illa potius, quæ edocti eſtis, quæq. ſuſcepta fide digna ſunt, reminiſcimini? nos hac lege natos eſſe, vt aliquando moriendum ſit, tolerabiliuſq. ferendum eſſe, quod accidere ſit neceſſe: deinde corpus in corruptione ſeminari, reſurrecturum nulli corruptioni obnoxiū, in ho-

inhonoratum terræ mandari, reuicturum glorioſum: poſtremo Petrum & Paulum apoſtolos ceſſiſſe; neque tamen illis in cælum euadentibus Chriſtum Eccleſiam ſuam deſeruiſſe, aut in poſterum deſerturum; quippe qui ſe nobiſcum futurum vſq; ad conſummationẽ ſeculi pollicitus ſit. hæc ſi verè cogitare volueritis, ſpe futuræ felicitatis preſentẽ dolorem leuaueritis, mihiq. et vobis omnem moleſtiam dempſeritis. ijs atque alijs verbis omnem triſtitiam Viator Bergomatibus abſterſit: hæſitantes animos confirmauit: tum eorum qui à Chriſtiana religione auerſi erant, ingentem multitudinem ad Chriſtum perduxit. cum is miſericordiæ officijs, virtutum paſtoralium ſplendore, et præclara ſanctitatis fama & doctrinæ ſacræ laude egregius annos tredecim Eccleſiam Bergomatem adminiſtraſſet, fideiq. terminos latius protuliſſet, migrauit in cælum anno à Chriſti nato. lxxxviij. xix. Cal. Ianuarij.

SANCTI ROMVLI EPISCOPI ET MARTYRIS VITA.

CHRISTIANA fides, quæ regni cælorum vocabulo deſignatur, grano ſinapis aptiſſima ſimilitudine comparata eſt: nam vt acris ſinapis vis eorum, qui id ſumpſerint, guſtatus ſenſum exaſperat, et lacrymas excutit, calorisq. inſiti feruor totum hominẽ perturbat: ſic cõmodorum iactura, famis, ſitis, frigoris contumeliarũ, ſuppliciorumq. perpeſſio, quæ Chriſtianam fidẽ ſequentibus propoſita ſunt, pias et fideles mẽtes exagitant, ancepsq. ſpes et metus miſcent animos: propterea quod hinc futura felicitas ſolatio et lætitiæ; illinc præſentes cruciatus triſtitiæ et pauori ſint. verum vt ſinapis virtus, quò latius ſe diſtulerit, corpuſq. miſcuerit, eò efficaciorem in maturanda ſanitate vim medicinæ reddit: ſic quò vehementius pij homines in laboribus, periculiſq. & rerum arduarum tolerantia exercentur: eò clariores et Deo gratiores triumphos de

com-

communi hoſte agunt. Qui profectò nunquam in tot ac tantas dimicationes, et in illos mundi quotidianos impetus ſe demiſiſſent, niſi ſempiternam pacem, et immēſum gaudium animo concepiſſent. plena eſt exemplorum vetuſtas, nunc unius Romuli martyris res geſtas cōmemoraſſe ſatis ſit: ſicut .n. aurū igne, ſic eius fides magnis certaminibus perſpecta eſt. Erat beatiſſimus Petrus Apoſtolici ordinis Princeps, Romanæq. Sedis adminiſtratione inſignis: eius .n. ditioni ſic rerū arbitriū ſubijcebatur, ut quæcūq. in hoīes ſtatuiſſet aut remiſiſſet in terris, ea rata et firma haberentur in cælis. Romulus ſummo loco Romæ natus ſtatim vt puèr utroq. parēte orbatus eſt, ad hunc ſe contulit, & ſacro baptiſmate ab eo initiatus eſt. Primis annis Iuſtino presbytero vitæ ſanctitate, et ſacrarum literarum ſciētia prædito, cùm in diſciplinā traditus eſſet, non modò Chriſtianæ religionis cognitionē omnē aſſecutus eſt, ſed breui vberrimi eius ſermones cōplures alios ad Chriſti fidē erudierūt. Tantarum rerum fama cùm non modò Romæ percrebuiſſet, ſed magnā latij partem peragraſſet, ingens hominū multitudo Romam ad eum confluxit, baptiſmumq. ſu-

ſcepit. multi item, qui grauibus et periculoſis morbis conflictabantur, Petro & Romulo pro eis deprecantibus, mirabiliter curati ſunt. In ijs Cariſius quidam genere & diuitijs clarus, cùm duos filios haberet, alteriuſq. eorum putres artus tabidis manarent ulceribus, alterum dæmon agitaret, nec conſiſtere pateretur, rem ad Petrum detulit. cùm Petrus Romulum ad eos miſiſſet, eius ope non ſolum malis, quibus corpora, ſed etiam, quibus animæ oppreſſæ erant, releuati ſunt: Chriſtianiq. facti & parta ſalute læti, Ieſu Chriſti gloriam omnibus ſermonibus celebrabant. Petrus vero cum Romuli preces tam gratas acceptaſq. Deo, & hominibus ſalutares eſſe ſenſiſſet, ſuorum laborum fructum tulit maximum, ſpeſq. iniecta eſt fore, vt eius doctrina & prædicatione Chriſtiana religio latius diffunderetur, & altius radices ageret. Quamobrem Romulum vnà cum Iuſtino præceptore, Marchitiano, & Cariſſimo Sutrium Hetruriæ opidum vetus ac nobile, qui eum populum Chriſtiana religione imbuerent, miſit. cùm Sutrium perueniſſent, apud Pergamum virum in primis clarum & honeſtum diuerſati ſunt.

Perga-

Pergamus, qui eſſent, et quæ cauſſa eos illuc attuliſſet, percontatus eſt. Illi ſe Chriſtianos eſſe, & Chriſtinam religionem ſerere animo excelſo & forti profeßi ſunt. aliquid Pergamus de hac religione fama acceperat: verùm ab eius inſtitutis ſic abhorrebat, vt quæ falsò ab impijs de animarum mortalitate creduntur, illi inſita eſſent; animaſq. cum corporibus interire, et omnia morte deleri cenſeret. itaq. eos in animarum æternitate ſtultiſſimè labi reſpondit: neque enim quenquam, qui harum rerum fuiſſet auctor, aut alium, qui mortuus eſſet, vnquam reuixiſſe. Ad refellendam, coarguendamq. hanc falſitatem, longe erant argumenta petenda pedetentimq. et cautè Pergami animus ad rem ueritatemq. traducendus, neque primo ingreſſu in intimam Chriſtianæ religionis diſputationem penetrandum. quare Romulus et ſi res difficilis proponebatur, tamen diuina ope fretus veritatē defendere orſus eſt: ac Pergamum longe opinione falli reſpondit, qui talia ſibi perſuaſiſſet. Quæ enim gens inquit tam Barbara, quis tam ferus atque immanis vnquā fuit, qui natura duce, animos diuinos eſſe non ſenſerit? quòd ſi hæc veteri om-

ri omnium religione conſecrata ſunt; & cum temporis diuturnitate, tum auctoritate eorum, qui maximis ingenijs & altiſsimis animis præditi fuerũt, confirmata; omniumq. conſenſio naturæ vox putanda eſt: mortem quidem non interitum omnia delentem, ſed migrationem, commutationemq. vitæ exiſtimabimus. Quin nemo tam excors eſt, qui non cognitum, comprehenſumq. animo habeat, iuſtitia mundum regi, & præmia virtutibus, pœnasq. vitijs eſſe propoſitas: cùm verò plurimi qui multa in Deum et homines impiè, nefarieq. commiſerunt, nullis mulctati pœnis vita excedant; & qui virtute præſtiterunt, nullis affecti præmijs: aliquod tempus, et aliquis locus ſit, neceſſe eſt, vbi poſtquàm hinc migrauerint, quod cuiq. debetur, perſoluatur: alioquin qui modeſtiſsimè, ſanctiſsimeq. vixerunt, quo nihil dici abſurdius, aut cogitari poteſt, duriore et miſerabiliore conditione futuri ſunt, quàm qui omni voluptatum genere effrænatas cupiditates ſuas expleuere. Quòd verò animæ et corpora inter ſe conſociata erant, cùm aut præclara opera edidere, aut ſe ſcelerum vinculis obſtrinxere, nemini dubitandum eſt, quin quo fa-

F ctis

ctis dignam & meritam mercedem accipiant, iterum ſint coniungenda. quemadmodum autem frumenti granum terræ complexu exceptum cùm putruerit, herbeſcens diffunditur: ſic corpus humanum eiuſdem terræ gremio reconditum & in puluerem redactum reſurget immortale. Quòd ſi noſtras quoque cogitationes ad hominis naturam reuocemus, eum non ad labores et ærumnas, ſed ad ſummum & perfectum aliquod bonum generatum & factum eſſe, luce clarius videbimus. neque enim dubium eſt, quin finis ſemper ijs rebus, quæ ad finem referuntur, perfectior ſit & præſtantior: cùm autem hominis animus, menſq. & ratio ea ſit, vt non ſolùm res terreſtres moderetur, ſed in cœlum vſque penetret, et aſtrorum ortus, obitus, curſuſq. cognoſcat, & ſolis, lunæq. defectiones in omne poſterum tempus, quæ & quando futuræ ſint, prædicat; hæcq. ſummam quandam uim et perfectã artificioſi operis eum adeptũ eſſe teſtentur: cumulatum quiddam omnibus bonis, & glorioſum, & ſempiternum, ſecretis omnibus malis, ſit, neceſſe eſt, quò naturalis eius curſus dirigatur. at in hac vita tantum abeſt; vt veræ gloriæ et germa-

Ad Cor. epiſt. j. c. 15.

ma-

manæ felicitatis ſolidam et expreſſam effigiem teneat, vt ſolicitudinibus, miſerijs, & ærumnis inſuper fere ſemper prematur. reſtat ergò, ut cùm ex ijs corporis vinculis euolarit, proprijs commodis, et propoſita ſempiternaq. lætitia fruatur. neque illud præter eundum uidetur, quòd fruſtra quid facere et ſine cauſa minimè Deo et natura dignum eſt. quare cæleſtis felicitatis deſiderio, quod nobis natura ingeneratum eſt, nequidquam teneremur, ſi poſtera ſæcula ad nos nihil pertinerent. Certis præterea motibus cæli, & ratis aſtrorum ordinibus, mundiq. pulchritudine; atque huiuſmodi argumentis Deum eſſe & hæc tanta opera eſſe Dei, omniaq. inter ſe connexa & apta, mente & conſilio diuino ad ſalutem et conſeruationem noſtram mirabiliter adminiſtrari, docuit. poſtremò multa in eam ſentētiam dicta ſunt, quare Chriſtiana religio, repudiatis cæteris, una colenda eſſet, idq. cum vetuſtis & veracibus prophetarum oraculis, tum ſanctorum virorū auctoritate comprobatum: qui quò maiori fide et pietate à Deo gratiā inierāt, eò, melius, quæ vera eſſēt, cernebant. multa deniq. de contēnēda gloria humana, et cæleſti felicitate expe-

tenda addita ſunt. & ſi hac oratione Pergamus vehementer commotus eſt, ſenſimq. fides in eius animum cœpit illabi: tamen quòd quæ à Romulo dicebantur, vt aliquo miraculo illuſtrarentur, optabat, Romulus magno ſtudio Deum precatus eſt, vt veritati in Pergami animo orienti vberiora gratiæ dona ſuggereret. quo facto, obſoletior veſtitus, quo Pergamus erat amictus, in auguſtiſſimam & inſignem veſtem, virga, quam manu geſtabat, in regium ſceptrum, & fictilis vrna in prægrandem gemmam conuerſa eſt. hæc cum Pergamus admirabundus intueretur, & rerum magnitudine obſtupeſceret, ſe Chriſtum veri Dei loco habere exclamauit, ſtatimq. ad terram proiectus non modo Romulum eiuſque ſocios veneratus eſt, ſed eorum pedes ſæpius oſculatus. ſuſcepto deniq. baptiſmo vnà cum liberis & domeſticis ad quadraginta numerum in Chriſtianorum cœtum adſcriptus eſt. Inde cùm in foro & vicis frequentibus conuocata concione, Romulus & ſocij orationẽ de Chriſtiana religione habuiſſent, ſic Sutrinorum mẽtes affecere, vt cum alij complures tum Cariſia vidua locuples ac nobilis Chriſtiana facta

cta ſit, et ſacro baptiſmate abluta. cuius tam eximia fides fuiſſe fertur, vt filia vnica, quæ vnicum erat matri in viduitate ſolatium, cùm linguæ vſum nullum haberet, habitis obſecrationibus, loquendi facultatem ſit aſſecuta. cuius rei admiratione Cariſia adducta dimidiam ſuarum copiarum partem egentibus erogauit. Compluribus Chriſtianam religionem ſequentibus, qui ſe a cultu Idolorum auocari moleſtè ferebant, Præfectum, cuius fidei Nero Sutrium commiſerat, aggreſſi, Romulum ſocioſq. eius criminando exagitare cœperunt: quoſdam Sutrium aduenisſe, qui nouam religionem profitentes imbecillorum mentes errore imbuerent, ociumq. ciuitatis turbarēt: eos coercendos eſſe, remq. omnem diſcutiendam, ni omnia ſeditione et ſuperſtitionibus miſceri mallet: nec prius deſtitere, quàm ex vrbe et agro Sutrino Romulus ac ſocij præcipites exturbati ſunt. Angebatur Romulus tantam occaſionem benegerendæ Chriſtianæ Eccleſiæ extortam eſſe de manibus. ob eam rem cùm ipſe ſocijq. Deum pro Sutrinorum ſalute precati eſſent, mœſti ſe Romam receperunt, remq. Petro, vt geſta erat, expoſuerunt. Petrus

eos

eos benigno appellando ſermone, a triſtitia acerbitateq. deduxit, & languentes confirmauit. Diluuium inquit, quo totius terrarum orbis inundatus eſt, earum rerum, quæ nobis ſuſtinendæ eſſent, ſimilitudinem quandam et ſpeciem geſsit. quemadmodum n. tunc quò altiores aquæ exſtiterunt, eò maiori ſpacio a terra Noe arca abrepta eſt, et cælū uerſus elata: ſic nobis ex huius myſterij inuolucris intelligendum erat, nos quò ſæuioribus periculorum & acerbitatum fluctibus obijceremur, eò ſublimius, relicto terreſtrium illecebrarum ſtudio, abituros, cælumq. tanquam domicilium noſtrum omni ſpe cura cogitationeq. ſpectaturos. Fel amariſsimum, quo Tobiæ oculi delibuti ſunt, & depulſa cæcitate ſanati, quid aliud habet argumenti, quàm qui ſuauiſsimam ſummi Dei lucē, eiecta horribili mentis cæcitate aſpecturi ſunt, ijs in rerum arduarum ac difficilium amaritie verſandum eſſe, & turbulentiſsimas uexationū tēpeſtates ſubeundas? an ignoratis cū Dominus in flāma ignis de medio rubi ſe ſe Moyſi oſtēdit, id indicaſſe his, qui diuino conſpectu frui cupiunt, ardentes iniuriarū flāmas & pungentes contumeliarū aculeos perferēdos eſ-

ſe?

ſe? quare qui expectatione et ſpe tãti muneris pen demus nõ modo ulla vi frangi ac debilitari nõ debe mus, ſed tum, cũ hæc accidũt, gaudio efferri. Quòd ſi loco aliquo pellamur, in alio cõſiſtendũ eſt. Domi ni eſt terra et plenitudo eius. deniq; meminerimus oportet, nos optimũ ducem Chriſtum ſequi debere, qui vnus omnem improborum vim pro nobis ſuo corpore excepit; neq. dubitare, quin ſi ærumnarũ conſortes ſumus, ſocij etiã & participes gaudiorũ futuri ſimus. Ii præterea noſtri labores, & angores ijs finibus, quibus hoc breue vitæ ſpaciũ circũſcriptũ eſt, terminabuntur; gloria uero, quam pro aditis periculis et ſuſceptis laboribus cõſecuturi ſumus, ſẽpiterna eſt et immortalis. Hac habita oratione, vt inſtitutum vitæ curſum Romulus teneret, nouũ ei onus imponendũ exiſtimauit. Erant Feſulæ Hetruriæ opidũ armis viriſq. opulentum: Atalantem Tigranis filium cũ à Babelicæ turris cõfuſione diſceßiſſet in Italiam traieciſſe, & in Hetruria conſediſſe tradunt, Feſulaniq. montis amœnitate & cæli ſalubritate captũ ibi vrbem, quam Feſulas appellauit, condidiſſe, mœnibuſq. ſepſiſſe et turribus firmaſſe altißimis. cùm ſpes oblata eſſet populum

Io. Vill. lib. j. c. 7

Feſu-

Feſulanum oppreſſum a dæmone poſſe ſeruitute eximi eam prouinciā Romulo ſocijſq. eius deſtinauit. Romulumq. primum Feſularum Epiſcopum renunciauit, et quamprimum eò contendere iuſſit. Romulus, qui quiſquis præſidibus Eccleſiaſticis dicto audiēs eſſet, eum Chriſto parere intelligeret, ſtatim viam ingreſſus eſt. Petrus Creſcentium et Dulciſsimū Volaterras Hetruriæ opidum paucis diebus ante miſerat, qui id a dæmoniaca poteſtate eripiendum curarēt. quòd uerò poſt diſceſſum nihil de ijs vnquam allatum erat, Romulo viam, quæ præter Volaterras ferebat, ineunti, mandauit, vt de eorum ſtatu cognoſceret, ſeq. certiorem faceret. Cùm Romulus ſocijq. eius Volaterras peruenißent, exploratis omnibus Creſcentium & Dulciſsimum iniurijs ab opidanis iactatos, Volaterriſq. & Feſulis exactos in monte, qui non longe aberat, conſtitiſſe compererunt. ibi obſiti ſqualore & pallore, macieq. perempti precationibus vigilijſq. ſe dediderāt. ijs conuentis, & longo ſermone cum eis habito, reuertendi in opidum Volaterras eumq. populum doctrina euangelica inſtituendi conſilium ineunt ijs rebus conſtitutis, dum eò rectà

per-

pergunt, in ciuem nobilem, cui Victimus erat nomen, inciderunt. is ſe miſerè afflictabat, quòd filij ægrotantis ſaluti deſperaſſet, multitudineq. neceſſariorum, qui eum conſolarentur, circumfuſus, domo ſe ſubduxerat, ne filium animam agentem videret. cùm eum adijſſent, nomineq. appellaſſent, rogarunt, vt lacrymis temperaret; ſi Chriſto fidem haberet, ſtatim filium incolumem habiturum. Victimus, cui filij ſalus propria vita erat charior, ſe omnia, quæ illi præcepiſſent, facturum pollicitus eſt. rebus, quæ credendæ erant, ordine perceptis, precibuſq. a Romulo factis, domum reuerſus filium conualeſcentem ſumma cum omnium aſtantium admiratione offendit. Hoc inſigne miraculum, vt in Chriſtianorum numerum tota eius familia adſcriberetur, effecit. Volaterris nonnullos dies verſati diuinarum ſententiarum pondere ſic hominum animos affecerunt, ut complures eorum hortatione in ſpem, cupiditatemq. æternæ ſalutis adducti, euerſis Idolis Chriſtianam fidem amplecterentur. Inde Feſulas petituri Feſulanos truculentius in Chriſtianos ſæuire, et nefaria in eos facinora edere, a Creſcentio et Dulciſſi-

G *mo*

mo acceperunt: quare commutato conſilio, ad diſſeminandam Chriſtianam pietatem, qui ſpiritus Sanctus ferebat, iter auerterunt. cum plurimas ciuitates prædicando luſtraſſent, plurimũq. eã in re profeciſſent, tandem Brixiæ conſtiterunt. ibi concionibus & ſanctitate vitæ plurimos ad Chriſti fidem conuerterunt, tum viduæ cuiuſdam filium mortuum ad vitam mirabiliter reuocarunt, compluribuſq. ægrotis opem & ſalutem tulerunt. inde Bergomum ſe recepere. Quo tempore id acciderit, aliquo annorum numero inter ſcriptores noſtros et externos diſcrepat. Hi.n. anno à Chriſti natali die circiter ſeptuageſimo ſecundo, noſtri octuageſimo octauo Romulum Bergomum veniſſe tradunt: adduntq. tam in tempore id accidiſſe, vt propè cælo miſſus videretur: propterea quòd mortuo Viatore, Epiſcopo Bergomates carerent, reſq. Chriſtiana pedem referre videretur. qui mihi potiores auctores ſint habendi, non ſatis conſtat. Romulus primo complures, qui incommodo valetudinis affecti erant, in priſtinum ſtatum reſtituit: duos item a mortuis excitauit. Miraculorum fama per vrbem vulgata, non ſolum

lum in fide labantes firmauit, ſed ad Chriſtum ingentem nouorum cultorum multitudinem adiunxit. ob eam cauſam Bergomi ab omnibus magno in honore habebatur, eiuſque auctoritati plurimum tribuebatur: Iamq. ei cum Bergomatibus vitam agere conſtitutum ac deliberatum erat: verùm duo de viginti menſibus Bergomi exactis, nocte in ſomnis obuerſatus Angelus Dei verbis nunciauit, vt ſe quàm primùm in Hetruriam conferret, & inſtitutum opus repeteret. Prima luce re cum ſocijs communicata, diuinæ uoluntati omnes parendum eſſe cenſuerunt. itaq. conuocata Bergomatum concione, diuinum oraculum enunciant, ſeque quæ a Deo facere iuberentur, non neglecturos pronunciant. Propediem eodem Angelo, qui in quiete viſus erat, duce profecti ſunt. ne nunc quidem hac ſine aliqua animi moleſtia legi audiriue poſſe certum habeo, inde exiſtimari poteſt, qui habitus animorum priſcorum illorum patrum, ijs diſcedentibus fuerit. Romulus non modò cœli ſalubritate & locorum amænitate delectatus erat, ſed Bergomatum ſalutis ſtudio ardebat. quare conſentaneum eſt eum

G 2 non

non prius diſceßiſſe, quam Eccleſiam Bergomatem conſtituiſſet, & alium optimum Epiſcopum ſubſtituiſſet. cùm in ea loca vnde Feſulæ procul conſpici poſſent, perueniſſent, humi proſtrati, & in cælum ſupplices manus tendentes pro Feſulanorum ſalute Deum precati ſunt. inde vrbem ingreßi, hoſpitio ab Adriano viro in primis claro & graui benigniſſimè excepti ſunt. qui eſſent, & qua de cauſa eam regionem obijſſent, hoſpiti expoſuerunt. qua re cognita eos Adrianus hortatus eſt, vt hoc munere & officio abſtinerent, et quam primum Feſulanorũ finibus excederent. ſuperiore tempore duos alios, qui ſe hæc eadem Chriſtiana inſtituta tradituros pollicerentur, Feſulas veniſſe, peßimeq. acceptos opido pulſos eſſe, quamobrem ne ipſi committerent, vt hæc eadem pœna ab illis repeteretur. Ad hæc Romulus reſpondit, veniſſe ſe diuino ſpiritu inſtinctos, eius iniuſſu ſe non receſſuros. tantum verò abeſſe, vt vllas minas aut vim pertimeſcerent, vt etiam ſibi magno honori futurum exiſtimarent, ſi quam tempeſtatem pro fide Chriſti ſubire contigiſſet; modo Feſulanorum ſaluti conſuluiſſent. cùm eos tanto ſtudio diuinæ

glo-

gloriæ,et alienæ ſalutis deſiderio flagrãtes Adrianus cerneret,altiuſq. conſtantiam hominum et habitum tacitus conſideraret,uiſq cæleſtis & diuina ijs explicantibus religionis Chriſtianæ rationē ineſſe videretur: ſe quoq. orationis grauitate & iucunditate perfundi et fidei virtutem in ſuam mentem influere intellexit, ſeq. continuò in Chriſtianorum numero duci voluiſſet, ni tacitæ eius cogitationi vnum repugnaſſet: Chriſtiana enim inſtituta,quæ & inimicitias gerere,& illatas iniurias vlciſci prohibebant, nimiam duritiam & acerbitatem habere, & fortium ingeniorum vigorem vitæ humilitate reſtinguere videbantur, ſeque ea præſtare poſſe deſperabat: ſibi tamen perſuadebat, ſi legi Euangelicæ paulo plus facilitatis & iucunditatis aſperſum eſſet, nihil admirabilius fore. Hanc inanem ſolicitudinem Romulus Adriano facile detraxit, cùm nihil ſeuerius à Chriſto ſancitum eſſe oſtendit, quàm communis animarum ſalus poſtulabat. natura autem ita comparatum eſſe, vt magna vis eſſet conſuetudinis; ac propterea ab ijs moribus, quibus aſſueuerat difficulter auocaretur. verum ſi Euangelicam ſuauitatem deguſtaſ-

ſet

ſet futurum, vt in rebus aduerſis, & in periculis, aſperiſq. temporibus, veris & diuinis gaudijs perfrueretur; & quæ nunc difficillima viderentur, ea rei Chriſtianæ ſtudium facillima redderet. His rebus auditis Adrianus, vt ſibi Baptiſmus adminiſtraretur, et in Chriſtianorum numero haberetur, poſtulauit: quem demum vxor eius liberi ac ſerui ſunt ſecuti. Nec ita multò poſt Celſus, quem à dæmonis vexatione liberauerat, vnà cum cognatis alijſq. compluribus, qui rei miraculo interfuerant, ad nonaginta numerum, Chriſtianam religionem ſuſcepit. hac ratione creſcente fidelium numero, Sacerdotes in urbe cōſtitui cœpti ſunt, et de templo conſtruendo conſilia inita. id cùm ad Reperciani aures, qui tum Feſulis Præturam gerebat, perueniſſet, miſſis Lictoribus Romulū ac ſocios, aut dijs immolare, aut vrbe excedere iuſſit. illi et immolare recuſarūt; nec ullis commoti minis vrbe ceſſere. ob eam rem Prætor ira incenſus ſe ab ſolio, citato gradu proripit, eoſq. virgis cæſos in agrū extrudit. portisq., quibus firma repagula impoſita erant, obiectis, eos excludit. illi nocte cōcubia ad portam acceſſere. qua ratione Chriſtus ſepulcro

quod obſtructū, et cuſtodijs vigilijsq. munitū erat exceßit; Petroq. in uincula coniecto, carcer, qui ex omni aditu clauſus eſſet, patefactus eſt, eadem Romulo porta ultro ſe aperuit. Romulus, ſocijq. vrbē ingreßi apud neceſſarios pernoctarūt. poſtridie ei⁹ diei prima luce ad loca frequentia dilapſi ſe ad munus ſuū penſumq. reuocarūt. magni ad eos concurſus vndiq. fiebant, hominesq., abiecta ſuperſtitione, ſe ad Chriſti fidem conferebant, Euangelicaq. orationis copia et vbertate ad verā pietatē ſe prope compelli ſentiebāt: cùm interim Vienna mulier locuples, cuius filius graui & mortifero morbo urgebatur, ad Romulū proſilit, fidem auxiliūq. eius implorat. quo ſanitatem pollicente, ſi Chriſtum colere in animum induxiſſet; ſtatim illa Chriſtū obteſtatur, Romuliq. precationibus charißimi filij ſalutem commendat. his remedijs cùm filius repente non ſolùm ſanatus, ſed etiam confirmatus eſſet, cum mulier, tum alij complures, qui ſe rei teſtes ſpectatoreſq. præbuerant, auitas leges & patria inſtituta deteſtati in Chriſtianam religionem conceſſere. res interea Prætori nunciatur, qui vſque eò commotus eſt, vt dolore atque iracun-

cun-

cundia arderet. quamobrem Romulum totumq. eius comitatum comprehendi & in vincula conijci iubet. carceris ianuæ cuſtodes ponit, edicitq. ne quis ad eos adeat, aut vllum cibi genus afferat: futurum ratus, vt illi ſine vllo ciuitatis tumultu, fame & rerum omnium inopia conficerentur. illi incluſi atque ab omnibus humanis præſidijs deſerti precationibus operam dabant: neque ſolùm æternæ felicitatis firma ſpe, ſed etiam præſentis auxilij certa expectatione pendebant. neque eos ſpes fefellit: nam Chriſtus in carcere eis oblatus eſt; cuius ope non ſolùm fames depulſa, & caſus eorum ſuſtentati, ſed animi ad omnia pericula ſubeunda paratiores, alacrioreſq. facti ſunt. Cũ tantũ temporis interceſſiſſet, vt eorum corpora fame abſumpta eſſe credibile videretur, Repercianus accerſitis neceſſarijs ſuis, eamus, inquit, & iam deorum contemptores mortuos ex carcere proijciendos curemus. Quod diuerſo conſilio ad eos proficiſcebatur, atque Babiloniæ rex ad Danielem ierat, diſſimilem etiam exitum habuit. is enim vt Danielis mortem lugeret, ad lacum leonum; ille vt Sanctorum virorum morte lætaretur, ad carcerem

rem rapiebatur. tulit is ex incolumitate gaudium; Repercianus autem, cùm quos miſeria iam peremptos exiſtimabat, eos hilaritatis plenos, optimoq. corporis habitu florentes offendiſſet, exarſit dolore, & iracundia. cùmq. id cuſtodum culpa accidiſſe arbitraretur, propius nihil eſt factum, quàm vt eos pugnis & calcibus conciſos vltimo ſupplicio mulctaret. ſedata tandem ira, cuſtodibus ignotum eſt, imperatumq. vt Romulus, ac cæteri verberibus lacerati ex vrbe educerentur, & capite plecterentur. Dum extra mænia vincti trahuntur, mulieri vrnam aquæ plenam capite geſtanti fiunt obuiam: ab hac Romulus ſiti enectus aquam popoſcit. illa, ſiue armorum ſonitu, & hominum multitudine territa; ſiue, quod magis credendum eſt, inſita illiberalitate adducta terga dedit. ob hanc inhumanitatem vetus Aegyptiorum miraculum renouatum eſt. nam quemadmodum Pharaone Iſraeliticum populum inſectante tunc Aegypti flumina; ſic hoc tempore puteus, vnde mulier aquam hauſerat, in ſanguinem conuerſus eſt. Quæres ad amplectendam fidem

oblato miraculo Reperciani miniſtros excitare debuit, ea ad horrendam rabiem & neſandum furorem efferauit. quorum vnus ſtricto pugione vecordi audacia in Romulum irrupit: a quo is multis ictibus transfixus, moribundus concidit ac paullo poſt expirauit. ſocios quoque eodem temporis momento obtruncant. hæc anno noſtræ ſalutis nonageſimo pridie nonas Julij accidiſſe vetuſtiores noſtri ſcriptores in monumenta retulerunt. Horum corpora vnguentis circumlita ab vrbe circiter paſſus mille à fidelibus honorificè, quantum res ferebat, ſepulta ſunt. ibi poſtea creſcente fidelium numero Feſularum cathedralis ædes & Epiſcopale domicilium conſtructum eſt. qui Romulo ſucceſſerint, aut qui deinceps interuallo annorum prope ducentorum Chriſtianum nomen Bergomi tutati ſint, nulla habet annalium memoria. itaque relinquitur, vt magis patrum noſtrorum calamitatem, & priſcorum temporum miſeriam deploremus, quàm incerti aut dubij quicquam poſteritati prodamus. bis enim a Pannonibus vrbs non modo capta, ſed incenſa ac penè exciſa eſt, qua clade pleraque

mo

monumenta interiere. Suſceptæ Bergomi religionis primordia quò à noſtra ætate remotiora ſunt, eò difficiliora & obſcuriora fuerunt. quæ quoniam tranſegi, nunc quorum opera multis interiectis annis longius latiuſq. ſe ſe fides diffuderit, exponam.

SANCTI ALEXANDRI
MARTYRIS
Vrbis Bergomi Patroni Vita.

SI militi exiguæ perituræq. mercedis ſpe bellanti ad id maximè animus exercendus eſt, vt corpus quàm ualidiſſimũ, & perniciſſimum habeat ad ſubita imperia, quò cum rei bene gerendæ occaſionem Dux præbuerit, atque in aciem eduxerit fortis viri opera edat: quantò militem Chriſtianum ſtudio conuenit arma animumq. ad capeſſendam cum antiquo hoſte pugnam expedire, cùm pro laboribus periculiſq. immẽſam ſempiternãq. mercedem ſit accepturus, & non in aliquot annos, vt ille, ſed in perpetuum victoriam ex ſua cauſa reportaturus. itaque cum cæleſtium donorum, & diuinarum virtutum præſidio is armatus & inſtructus certamini ſe accingere debet, tum intueri, cuius ductu pugna ineunda ſit, vtrum qui dumtaxat adhortator fuerit, operum militarium expers; an

qui & ipſe tela tractauerit, & in media mole belli verſatus ſit grauißimoſq. hoſtis conatus ſuſtinuerit, atque exuuias ex hoſte relatas humano generi ſaluti atque exemplo eſſe voluerit. Non cum imbelli aut inermi hoſte, ſed cum armato, duratoq. et inueterato diutina arte atque vſu belli negocium eſt. cuius odio atque inuidia, iam inde a mundi initio genus humanum exagitatur. qui præterea cùm alios cernat, et a nemine cernatur, inſidijs captat, animoſque errore & ſpe vana præoccupatos facile circumuenit. non acrius, quàm perſeuerantius cum hoc pugnandum eſt. nulla pax fida cum eo haberi poteſt. quin pax ſeruienti grauior, quàm pugnanti bellum. In Alexandri martyris vita ac moribus, cuius res ſanctißimè fortiſſimeq. geſtas perſequimur, perfecti militis Chriſtiani perſona expreſſa eſt. Is enim iuſtitiæ lorica, & ſalutis galea clarus, fidei ſcutum, in quo tela nequißimi hoſtis retunduntur, cepit. Cumque gladium verbi Dei ſtrinxiſſet, plenus animorum, plenus fiduciæ, ſe in Maximianum, & eius ſatellites intulit, acerrimèq. pugnando veræ fortitudinis exemplum præbuit. quare qui ſtudio potiundæ æternæ patriæ tra-

trahitur, hunc ſibi in primis imitandum proponat, caueatq́ ne ſpe præſentis pacis, ſempiternam pacẽ amittat. Virtutis probandæ, quæ eſt militis decus, victoriãq. parit vnum hoc tẽpus relinquitur: quò plus ardoris, eò minus periculi. ſimul etiam illud cogitetur, victori militi hinc excedenti Angelos alacres obuiam progreſſuros; laudantes, gratulantesq. eum ad Deum perducturos. laborum verò, periculorumq. præmium non argenti et auri ingentem vim, aut prædiorum donationem, ſed ſempiternũ & tranquillum æuum futurum. quare ſuus cuiq. animus memor tantæ felicitatis adhortator adſit. quòd autem par præmio periculum eſt, prouideat, ne cùm nullum diuinæ iræ effugium patebit, ne quicquam ignauiam ſuam accuſet.

Anno à Chriſto nato CClxxxv. Marcellino Summo Pont. Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, magna mole ſeditio in Gallia apud Sedunos coorta eſt, periculumq. impendere videbatur, ne hac parte neglecta tota Gallia deficeret. idcirco non ſolùm tota Italia delectus habiti ſunt, ſed omnibus gẽtibus ac nationibus, quæ in ditionem poteſtatemq. Romanorum Imperatorum venerãt

auxilia terræ, mariq. imperata. Thebæorum vrbs ea tempeſtate erat Aegyptiorum longè ditiſsima, magnificentiaq. publicorum et priuatorum tectorum et ſignorum multitudine pulchritudineq. exornata, tum viris, armiſq. opulentiſsima, & omni bellico apparatu inſtructa; & quòd propter Nilum ſita erat, multarumq. & magnarum gentium fines attingebat, præcipueq. ex India, et Aethiopia eò negotiatores cū mercibus et oneribus commeabant, frequens & celebre erat emporium. Huius nobilitatem, & antiquitatē vrbis, cùm alij complures, tum præcipuè Homerus, Plinius, & Diodorus Siculus fusè et copiosè perſecuti ſunt: ad hæc ornamenta Chriſtiana religio acceſſerat, quam Iacobo Apoſtolo auctore Thebæi edocti erant. Hæc autem per manus poſteritati tradita, ad eam vſq. ætatem peruenerat, & Zabdæ Epiſcopi Hieroſolymitani uiri ſanctiſsimi adminiſtratione diligentiſsimè colebatur. hic legio ex bellicoſis hominibus, & ad Chriſtianam diſciplinam eruditis, conſcripta eſt, ſummaq. Imperij ad Mauritium delata, et Alexander Signifer delectus. Hi omnes ad conſtitutum tempus in Italiam tranſmiſerunt

eò

eo tempore Marcellinus ſummum Pontificatum gerebat, vir conſilij magni, & ingentis charitatis, qui commodis ſuis prætermiſſis, cura, cogitatione, vigilijs omnibus, nihil niſi de communi hominum ſalute laborabat. is dum ea, quæ bello vſui ſunt, comparantur, Thebæam legionem adit, et ad tuendam Chriſtianam pietatem vehementius inflammat. Paucis interiectis diebus, legio cum reliquo exercitu alpes tranſgreſſa, cùm in Sedunorum finibus conſediſſet, moramq. ibi traheret, omnes dijs ſacrificare iubentur, quò facilius victoria potiri poſſent. ea re cognita Thebæi, qui a falſis religionibus auerſi ſuam ſpem in Deo vero collocarant, caſtris egreſſi ad octo milliapaſſuum a reliquo exercitu veluti contaminato ſeceſſere. id vbi Maximianus reſciuit ira inflammatus acerrimè in eos animaduertere conſtituit. vt autem metus ad omnes, pœna ad pauciores perueniret, bis decimum quenque ſortitione facta, ad ſupplicium legit. quæ cùm Thebæi conſtanti, & inuicto animo pertuliſſent, & qui ſuperſtites erant, nihilo ſecius a fide & pietate Chriſtiana non deterrerentur, ad internitionem totam legionem delere ſtatuit,

I tuit,

tuit,ne tum quidẽ Thebæi morti ſe ſubtraxere, verùm abiectis armis humi proſtrati, manibus ad cælum ſublatis, ferientium tela fortiſſimè corporibus ſuſtinuere. in ijs Mauritius interfectus eſt, locuſq. poſtea S. Mauritij nomine celebratus: nonnulli tamen diuino conſilio ſe ex impijs manibus eripuerunt. in ijs fuit Alexander, qui ex media cæde fuga Mediolanũ delatus, in tætrum obſcuriſſimũq. carcerem cognitus detruditur. Eodem tempore Maternus Eccleſiam Mediolanẽſem obtinebat, qui pijs & fortibus factis, morumq. ſanctitate, adeo omnem illam regionẽ illuſtrabat, vt populus Mediolanenſis inanium deorum cultu deſerto idolorumq. templis relictis, ſe magna ex parte ad Chriſti venerationem conuerteret: ſed quò magis Chriſtianorum numerus augebatur, eò inhumanior crudelitas a tyrannis adhibebatur, plurimiq. cuſtodiendi Mediolanum deducti ſunt: in capita etiam multorum, & terga ſæuitum eſt. alij nouo, & inuſitato mortis genere ſublati cæteris documento erant, ne ſacris Chriſtianis animũ dederẽt. At Maternus vnà cum Fideli, qui ei Chriſtiana neceſſitudine coniunctus erat, miſericordia, et cha-

& charitate permotus captiuos inuiſebat; quæ ad vſus vitæ neceſſarios opus erant, benignè ſuppeditabat; ſæpe curas & angores ſermone & conſilio leuabat ſuo ſæpiſsimè quos vinctos ad ſupplicia rapi videbat, ad perferendam mortem, et cruciatus ardentius excitabat. dum optimi Paſtoris officia ac munera accuratius exequitur, & circum carceres crebrius verſatur, ibidem Alexandrum quoque Caßium, Seuerinum, Licinium, & Secundum inuenit. ij omnes Thebæi generis erant, inſimulatiq. Chriſtianæ religionis cuſtodiebantur: quibus eandem ſolatij, & orationis medicinam afferre conatus eſt: ſed eos mira alacritate carceris pedores & ſqualores, & compedum duritiam, craßitudinemq. tolerare comperit, neque pro fide Chriſti vllum ſupplicij genus deprecari; tum ſpe firma ſempiterni æui pendere. quare, & ſi illorum vexatione plurimum mouebatur, tamen magnum ex illorum fortitudine, et pietate capiebat fructum. interim Sylanus, qui illis cuſtos poſitus erat, cùm iucundos eorum congreſſus, & grauitatem colloquiorum, quæ de rebus diuinis habe-

bant, animaduertiſſet, primò eorum patientiam, conſtantiam & vigilantiam tacitus admirari: deinde diuinitatis aliquid hominibus ineſſe credere: tandem rerum ſtudio elatus rem in lucem profert, Xantoq. & Carpophoro imperatorijs ſatellitibus primùm enunciat. illi vt ſunt omnes in perſpiciẽda rerum nouitate curioſi, nulla interpoſita mora, cupiditate cognoſcendæ tantæ virtutis ad Alexandrum ſocioſq. eius contendunt: data, acceptaq. ſalute percunctantur, quarũ virtutum præſidio muniti tela fortunæ, mutationeſq. rerum ac temporum leues, et imbecillas ducant, & ſine moleſtia in tætro carcere vitam degant. Virtutes inquit Alexander, verè ſunt, quæ terroribus, & cupiditatibus detractis, & falſarũ opinionum temeritate diſiecta ad lætitiam iter aperiunt. quorum enim ſpes, & ratio & cogitatio, ex bonis, quæ vos fortunæ eſſe dicitis, pendet; eorum res ex lætitia, & voluptate ad luctum; & lacrymas ſæpe recidunt, & qui ampliſſimis erant ornati muneribus copijſq. rei familiaris affluebant, ijs deiecti ſeſe miſerè affligtant, et quam caduca, incerta & fugacia hæc ſint, experiuntur. at

qui

qui altè ſpectant, & ſpe fruendæ cæleſtis felicitatis ratione firma & ſtabili tenentur, non modo quæ vobis eximia videntur, & præclara, quæque inaniſſimis collecta ſplendoris inſignibus vos miramini, contemnunt, ſed diem illum extremum expetunt, quò ijs corporis vinculis relaxati in Diuorum cætum conciliumq. profiſcantur. & quòd nullum perfugium melius aut paratius eſſe certò ſciunt, dum viuunt, munere quodam neceſſitatis, & graui opere perfungi ſibi videntur: vitamq́. hanc nihil aliud, quàm miſerrimi temporis propagationem exiſtimãt. cum has ob cauſas, tum quòd corpus illis vile eſt, qui animæ ſalutem antiquiorem putant, ſi in cuſtodiam tradantur, ſi torqueantur, ſi ſecentur, ſi vrantur, hæc in gloria ponunt, hancq. viam proximam ad cælum eſſe exiſtimant. ijdem tanto ſtudio imitandi ſummum illum ducem Chriſtum, noſtræ ſalutis vindicem flagrant, vt tum cùm maxime iniurijs, contumelijsq. afficiuntur, multiplici gaudio cumulentur. hoc Petri, hoc Pauli, hoc Andreæ, hoc Ignatij, & Stephani, & alij complures, qui Euangelica diſciplina ad omnes rerum euen-

tus,

tus optime inſtructi erant, ſpectarunt: quos non modò nulla periculi tempeſtas, nulla tormentorum acerbitas a ſuſcepta fide dimouere potuit, nulla inimicorum labefactauit iniuria, ſed à conſpectu concilij abierunt gaudentes quòd digni habiti eſſent, qui pro nomine Ieſu contumelias paterentur. hanc habet Chriſtiana Philoſophia beneuiuendi diſciplinam: quam ſi vos perceperitis, magna uobis ſubſidia ad omnem uitæ ſtatum, dum hic ſpiritum ducetis, paraueritis, & cum hinc erit demigrandum, vos vobis ad ſempiternam lætitiam viam muniſſe cognoueritis. cùm poſtea firmiſſimis argumentis illorum error & Dei ignoratio coargueretur, religioniſq. Chriſtianæ ratio illorum cogitationi ſubijceretur, ſenſim fidei virtus in illorũ mentes influxit; depoſitoq. falſorum Deorum ſtudio omnem curam & cogitationem ad Dei veri cultum conuerterunt; eoq. res progreſſa eſt, vt palàm & apertè Deos quos coluerant, deteſtarētur, & non ſolùm ſe Chriſtianos faterentur, ſed etiam profiterentur. Dum hæc geruntur, Maximianus bello Gallico cōfecto Mediolanum reuerſus Alexandrũ, reliquoſq. Thebæos carcere productos ſibi

ſiſti

ſiſti imperauit, et aut Dijs ſacrificare aut mortem ſubire iuſsit. His minis ſancti viri a propoſito minimè deſciuerũt, neſasq. eſſe reſponderũt, vt qui honos Deo oĩum rerũ opifici deberetur, is inerti marmoris ponderi aut eboris fragmẽto, aut conflata auri, vel argenti vel æris maſſæ, aut querno ſtipiti in hoĩs figuram habitũq. humana manu formato tribueretur. Etenim horum os nullam loquendi vim, nullũ vocis vſum habere: non oculos colorũ aut figurarũ venuſtatem et ordinem iudicare, aut vlla conſpicere: non manus mollitudinem aſperitatẽuè ſentire, aut vllam cõtrectandi miniſtrandiq. facultatẽ conſecutas eſſe: nõ pedes vllo ambulandi munere fungi: non aures ſonũ, non nares odorẽ percipere. Quin hæc ſimulacra muta atq. inanima non modò cuiquã prodeſſe, aut obeſſe nequire, ſed niſi impulſu agitarentur externo, ſe loco mouere non poſſe, et ſi nullo alio caſu, vetuſtate ſaltem ſolui & concidere. itaq. non poſſe ſibi maiorẽ vim trucem alicuius vultũ, aut metũ vllũ adhibere, quàm fidẽ & ſanctorũ virorũ oracula, qui in eos præcipuè inuecti ſunt, qui tranſmutauerunt veritatem Dei in mendaciũ, et ſeruierunt potius creaturæ, quã Creatori. hac oratione Maximiano oĩs ſpes comutandi ad Ro. cap. 1.

& flectendi ſanctorũ hoĩum aĩos præciſa eſt. quare eos rurſus in cuſtodiã trudi imperauit. dum exquiſita tormenta, quibus eos necaret, excogitat, proxima nocte a Carpophoro, & Fideli è vinculis emiſſi in Comenſem agrũ profugerunt: cumq. in vrbem progreſſuri eſſent, funeri cuidam, quod ducebatur ampliſſimè, interuenerũt. plurimi ad cohoneſtãdas exequias cõuenerãt, caſumq. mortui oẽs miſerabantur. quare plurimũ ad Comẽſium ſalutẽ profuturũ rati, ſi ibi miraculũ aliquod ederetur, Dei auxilio implorato, eum, qui efferebatur, a mortuis excitarunt. incredibile eſt, quanta credentiũ acceſſio hoc miraculo facta ſit: nam nõ modò in Comenſi agro, vbi tanta virtus perſpecta eſt, multi in Chriſtum crediderunt, ſed cùm is, qui reuixerat, perceptis iã primis fidei rudimentis, Mediolanũ ad Maternũ baptiſmi ſuſcipiendi cauſa ſe cõtuliſſet, vulgato ibi miraculo, ingens multitudo Chriſto nomen dedit: tantaq. aĩorum commutatio facta eſt, vt ijs temporibus, quæ ſubſecuta ſunt, cum alijs in locis tẽpla ei extructa ſint; tũ carcer ubi in cuſtodia Alexander habitꝰ fuerat, dirutꝰ in ſacellũ nõ mediocris pulchritudinis ſit trãsformatꝰ. quod ad hãc diẽ ſtat, noĩeq. S. Alexandri in Zebedea, antiquo loci vocabulo

retento, nuncupatur. Thebæi, vnà cum Corpophoro, Xanto, & Fideli, cum qua cœperant, via pergerent, neque Como longe abeſſent, itinereq. ac labore deſeßi, in loco, cui Siluula nomen eſt, ſubſtitiſſent, lictores, qui a Maximiano mißi eos inſectabantur, aduentare allatum eſt. Alexander iußis ſe in Siluam abdere ſociis, vt eos ab imminenti periculo eriperet, ipſe animo forti, & excelſo ijs occurrit, comprehēſuſq. Mediolanum retractus eſt; quem cùm in Jmperatoris conſpectum adduxiſſent, eius animus & ſpe & metu diutißimè fruſtra tētatus eſt. demum multis verbis, vltro citroq. habitis, Alexander Maximiano confirmauit cauſſam ſe fidei et religionis Chriſtianæ ſuſcepiſſe; vitam prius, quàm conſtantiam, et perſeuerantiam ad eam tuendam defuturam: ſe meminiſſe, quæ & quàm immenſa beneficia à Chriſto in ſe collata eſſent; ſpiritum, quem naturæ deberet, libenter ſe Chriſto redditurum. breue eſſe hoc vitæ ſpacium, quòd ſi diuturnum eſſet, tamen cum id extremū adueniſſet, tum quod præterijſſet effluxiſſe, & pro nihilo eſſe. ob eam cauſſam ſe minaces hominum voces non pertimeſcere: qui etſi

K ſum-

ſummi ſint, & rerum potiantur, tum in corpus ſæuire poßint; tamen animæ nullam vim inferre poſſe. aures ſuas ſemper Euangelicis pollicitationibus perſonare, quæ dies ac noctes commonerent præſentes fructus eſſe negligendos, & poſteritati ſeruiendum: hanc denique eſſe ſummam ſuæ orationis, vt nunquam Imperator ſperaret ſe de ſententia deductũ iri, aut ſtatuis vllis ſacrificaturum. ijs auditis Maximianus Alexandrum tollendum eſſe clamat: qua voce cùm Alexander præſens audiẽsq. nihil cõmoueretur, diutißimè verberibus cæſus eſt. paucis interiectis diebus rurſus ſpe præmiorum Alexander ſollicitatur, vt ſi ſacrificare recuſaret, ſaltẽ ſacrificijs tacitus præſens adeſſet: cùm verò ad ſtatuas, vbi alij ſacrificia procurabant, adductus eſſet, quid, inquit, et vos laborem inanem ſuſcipitis & mihi nequicquam moleſtiã exhibetis; neque enim hæc tacitus perferre potero. ſi quid autem a Deo impetrandum ſit, quoniã de precibus, et ſacrificijs me obtunditis, nihil eſt quod cõcedi malim, quàm ut diſiectis ignorãtiæ tenebris cùm tu Imperator, tum uos, alij ueritatis lumen intueamini, quod ſi fieret nihil aliud eſſe hæc intellige

re-

retis, quàm ſuperſtitiones aniles, et ad errorē multitudinis fictas, cōmentitiaſq. poetarū fabulas. quare multò magis exitio ueſtro, quàm ſupplicio meo cōmoueor: quod.n. ego perpeſſurus ſum, bidui aut ſummū tridui ſpacio conficietur; veſtri verò cruciatus ſempiterni ſunt futuri. itaq. uos vnum illud oro, ne verbis ueſtris diuti⁹ huic meæ deliberationi obſtrepatis. vnum Deum verū colere mihi certū ac deliberatum eſt; nulla me pollicitatio, nullus terror de ſententia deducet. hac oratione Maximianus animo exarſit, maieſtaſq. Imperatoria minui ſibi videbatur, ni grauiores pœnæ ab eo expetitæ eſſent. Poſtridie eius diei, omnia, quæ ad ſacrificandum vſui ſunt, depromi, Chriſtianoſq. ad ſacra admoueri, lictoreſq. ſtrictis enſibus circumfundi, neque oculos a Chriſtianis quoquam deijcere imperauit, ne mora eſſet, ſi ſacrificare recuſaſſent, quin continuò interimerentur. Alexander, cæteris in rebus mitis ingenij erat, vbi verò Dei honor ageretur feruidi animi. itaq. omnem iniuriam, quæ diuino numini iis rebus fieret, quacunq; ratione propulſandam arbitratus, apparatum illum omnem inſpectante Maximiano, calce diſie-

cit. indignatio Maximiano oborta eſt; grauioribuſq. probris, tum cæteros lictores, tum præſertim Martianum, qui carnificina arte excellebat, increpuit, qui Alexandrum ſtatim non conficeret. Cui Martianus reſpondit, ſe non metu aliquo, ſed forma viri, quam ampliorem, auguſtioremq. humana vidiſſet obtorpuiſſe. temulentus fortaſſe es, inquit Maximianus, albaq. & atra diſcernere nequis. hæc et ſi ab eo, ita iactata ſint, tamen quòd excellentia, & magnitudo virtutis quædam incredibilis in Alexandro elucebat, neſcio quid religionis illi oblatum eſt; Alexandroq. rurſus in vincula coniecto confuſus, incertuſq. animi domum diſceßit. reliquis deinceps diebus, Alexāder inopia omnium rerum peßimè acceptus eſt. qui et ſi martyrii deſiderio flagrabat; tamen quòd ſi viueret, plurimum vtilitatis in proferendis Chriſtianæ pietatis terminis ſe allaturū diuino inſtinctu cernebat, oblata occaſione è vinculis ſe eripuit, & Bergomum, vbi proficiendi ſpes oſtendebatur, profugit. in eo itinere hoc inſignè & memorandum contigit, quòd cùm ad flumen Abduam conſtitiſſet, nulla fluuiatili naui inuenta, ſicco pede flumen mirabi-

rabi-

rabiliter traieciſſe fertur. Bergomũ in mõtis dorſo ſitũ eſt. ab occaſu colli ſubijcitur. inde initio capto longius, quàm latius pertingit, ſeq. ſinitrorſus fle-ctẽs in orientẽ vergit. antiquitus ea tantum pars, quæ editior eſt, arduũq. ad ſubeundum aditum habet, colebatur, muroq per inæqualẽ ducto collẽ, & multis in locis fornicibus ſuſpenſo cingebatur. poſt non ſolũ cliui, qui leni faſtigio in planitiem extẽduntur, habitari cœpti, ſed vrbs, quà in orientem, & meridiẽ ſpectat, in planiores & patentiores cãpos explicata eſt. ad radices cliui, qui in meridiẽ prominet. primùm Alexander ſubſtitit, ibiq. domum ſedemq. ſibi delegit. exiguus tum erat Bergomi Chriſtianorũ numerus. Alexãder uerò cõmunis oĩum ſalutis ſtudio incẽſus, quò longius à fide Bergomatum ratio et voluntas abhorrebat; eò ardentius ſe totũ corpore et animo ad diſſeminãdã Chriſtianã pietatem contulit. nulli labori parcebat, quo in vico commorabatur, homines ad fidem excitabat: ad vrbem ſubibat: in alios vicos excurrebat: ad tollenda idola, ad amplectendam crucem, ad expetendas rés cæleſtes, ad contemnendas humanas, ad deponendas offenſiones cohortabatur: neque

eum

eum quantum proficeret, pænitebat. hac tanta pietatis ſama cum alij plurimi ad ſuſcipiendam fidem allecti ſunt, tum Grata, Lupi filia, penes quẽ ſumma rerũ tum Bergomi erat, ad tuendã Chriſtianã diſciplinũ; cuius cognitione ab ineũte ætate imbuta fuerat, vehementius inflãmata eſt: Hanc Heſteria eius comes, et omnium conſiliornm ſocia ſubſecuta eſt. Gratæ item de patris ſalute ſolicitæ, futuram eius conuerſionem Alexander prædixit, ſpeq. optimorum euentuum magnam conſolationẽ attulit. Huic tantæ, & tam ſecundæ in Chriſtum Bergomatum voluntati, hoſtis antiqui impulſu ſeſe Maximianus oppoſuit. qui re cognita certos homines qui Alexandrum Bergomi obtruncarent, miſit. ij Bergomum ingreßi Alexandrum comprehẽſum et vinctum ad Crotatij ſtatuam quam corrupto vocabulo Plotatij appellabant, nobili & excelſa in columna poſitam adducunt, mortemq. acerbißimam, ni ſacrificet, minitantur. Alexander tempus illud, quo in cælum demigraret, aduenisse ratus, genibus nixus, ſublatiſq. ad cælum manibus immortales Chriſto gratias egit, qui è cælo delapſus, carniſq. inuolucris tectus pænas, quæ nobis

biſ facinorum nomine debebantur, nos miſeratus perſoluiſſet, caputq. perditiſſimorum Iudæorum furori obieciſſet: qui infinita clementia diem nobis ad reſipiſcendum proferret: cõmutationemq. vitæ, admiſſarũ in Deum proximũ, ſeq. ipſum cul parũ pænitenti tutiſſimum portum eſſe voluiſſet. poſtremò qui ſibi occaſionem obtuliſſet, qua tanquam fortis athleta pugnando victoriam adipiſceretur. denique Deum obteſtatus eſt, vt viti a ſe Bergomi conſitæ fœcundos gratiæ imbres mitteret: & cum hanc, tum cæteras Eccleſias benigniſſimus reſpiceret, ſpirituiq. quem redditurus erat, cælum pateſaceret. uix hæc dixerat, cùm ſecuri percuſſus martyrij corona donatus eſt, duodeviceſimo die, quàm Bergomum peruenerat anno ccxc. vij. calen. Septemb. hac re cognita tantus Gratæ inceſſit dolor, vt ſol è mundo excidiſſe uiſus ſit. neque ſolùm ſe tanta hac reip. Chriſtianæ plaga angi præ ſe tulit, ſed Heſteria ac ſeruis accitis, ad locum, vbi cædis facinus erat commiſſum, lacrymabunda contendit: caput abſciſſum panno inuolutum manibus proprijs ſuſtulit. reliquum corpus cœno oblitum a ſeruis contectum eſt, et Grata comitante intra Vrbem efferri cœptum. cùm pratum tranſ-

greſsi in cliuum, quem nunc vicum Pinetum appellant, comitatum erigerent, labore deſeſsi onus depoſuere. ibi terra nonnullis ſanguinis guttis reſperſa, poſtridie purpureos flores edidit. Ob has cauſas Lupus eiuſq. domeſtici proſtratis idolorũ ſimulachris, ſuſceptaq. fide Baptiſmo illuſtrati ſunt. In eo loco poſtea templum D. Alexandro a Grata exædificatum eſt; quodq. ibi triuium eſt, quod crucis ſpeciem efficit, cognomen a Cruce templo inditum. cùm ex labore ſe refeciſſent ſerui corpus in hortos Gratæ intulerunt, ibiq. honorificentiſsimè condiderunt. non multo poſt interitum templum ibidem Gratæ ſumptibus excitatum eſt, et multis prædijs locupletatum: quod ab omnibus circa accolis religioſiſsimè colebatur, aliud præterea auguſtum et magnum, vbi primum Alexander domicilium collocarat, conſtructum eſt, quod a Columna, quæ ibi Crotatij ſimulachrum, quod tum exciſum eſt ſuſtinebat, nomen habuit. viuus mortuuſq. multis miraculis eſt nobilitatus: neque alienum inſtituto opere nonnulla referre exiſtimauimus. Cum Multrafium, & Vercana Comenſium Vici lupis, & vrſis tam infeſti eſſent, vt

non

non modò armenta diſcerperentur, ſed eorum rabies ad dilaniandos homines conuerſa eſſet; nulloq. humano præſidio beſtiæ immanes ac feræ arceri poſſent: ad S. Alexandri auxilium confugerunt, nuncupatoq. voto pacem tranquillam & a feris tutam habuerunt. Eiuſdem ope, eadem peſtis a Vallis Brembanæ incolis depulſa eſt: poſteriq. accepti beneficij memores, quod tunc illi vouerunt, ad hoc tempus religiosè perſoluunt. hæc ijs populis S. Alexandro rogante impetrata. verùm illud non minus commemorandum, in quo eodem deprecatore, Carolo tertio Imperatori diuinum auxilium et numen oblatum eſt. Carolus cum anno circiter DCCCLXXXIII. ægra & perdita valetudine eſſet, eiuſq. ſalus propemodum diſperata videretur, votum concepit, ædem ſe S. Alexandri aditurum, ſi morbo releuatus eſſet. huius ope cùm vis morbi primo remiſiſſet, deinde integra valetudo reſtituta eſſet, quamprimum licuit, ſtudio inflammato Bergomum contendit. templum piè & religiosè ingreſſus cùm ob impetratam ſanitatem cumulatiſſimè Deo gratias egit, tum Sancti Alexandri reliquias ſanctiſſimè vene-

neratus magnitudinem donationum quas Deus in eum contuliſſet, multis laudum præconijs proſecutus eſt. Idem beneficij magnitudine lætus, locorumq. religione & incolarum humanitate captus ad memoriam grati animi ſempiternam priuilegia plurima, eaq. honorifica (dona ea tempeſtate haud ſpernenda) in Ciuitatem atque ædes ſacras congeſſit, & ampliſſimas immunitates vacationesq. dedit; tum genus morbi, quò periculoſiſſimè laborarat, & ſanitatis adeptionem elogio luculentiſſimo conſignatam, teſtatamq. reliquit. coronam item auream plurimis et clariſſimis diſtinctam gēmis donarium in altari poſuit, quæ ad memoriam pietatis imperatoriæ ſempiternam templo ornamento eſſet. Tempore quoque difficillimo, et bello periculoſiſſimo ægris et labentibus Ripenſium rebus, qui non longè a Tridento Ripas Benaci lacus incolūt S. Alexander auxilium opemq. tulit. anno a Chriſto nato M D L X. Iulio I I. Summo Pontifice & Maximiano Imperatore, cùm omnes fermè Chriſtiani Principes, icto inter ſe fœdere ad delendum nomen Venetum conſpiraſſent, ſignisq.

col-

collatis Veneti pulſi ſuperatiq. eſſent, & omnis armorum impetus in eos conuerſus, Ripenſes quoque populationibus & excurſionibus a finitimis Germanis premebantur. qui cùm ad pugnandum cùm hoſtibus pares non eſſent, intra muros compulſi pauentes inopeſq. omnium rerum, humanis ſubſidijs deſperatis, a S. Alexandro, cui in propinquo colle Sacellum antiquitus exædificatum fuerat, calamitati ſuæ auxilium implorarunt; lacrymaſq. plurimas in ijs acerbitatibus profuderunt. miſertus eſt Deus, Alexandro deprecatore; Ripēſesq. ueluti cæleſti voce iuſsi, patefactis portis, eruptione facta hoſtes fuderunt, fugaruntq.; & cùm nulla res obſtaret pauori; armaq. et viri alij ſuper alios cæde ingenti ſternerētur, non modò obſidio ſoluta eſt, ſed tanta hoſtium ſtrages facta, vt numerus interfectorum iniri non poſſet, & aquæ fluminis cruore inficerentur. hinc loco illi aquæ mortuæ, a cæſorum multitudine, et ſanguinis profluentis copia nomen impoſitum. Apud Ripenſes verò poſteris temporibus Alexander ſumma in veneratione fuit, diemq. quo is in cælum exceßit, feſtum habere, & in perpetuum ſeruare, decreto

facto Ripenſes conſtituerunt. ſed illud externum. hoc verò domeſticum, in quo propenſam Alexandri in nos ipſos benignitatem, tum cum magnis periculis vrgebamur, experti ſumus. Raimondus Cardona Hiſpanus Regnum Neapolitanum pro rege adminiſtrabat. is, quòd bellum Venetis cũ rege Ferdinãdo ſuſceptum erat, anno MDXIIII. infeſto exercitu fines Bergomates ingreſſus eſt, peruaſtatiſq́. paßim agris, urbem circumſedit. crebris tormentorum ictibus quaſſato et diſiecto muro quà D. Auguſtini cœnobium ſitum eſt, eò rem redegerat, vt ſine prælio in vrbẽ tranſcendi, & ſigna inferri poſſent. Raimondus verò Bergomatibus infenſus, quòd imperium Venetorum ſecuti, oppugnationem pati, et omnes acerbitates perferre, quàm ſe dedere mallent, vrbem militibus diripiendam conceſſurus erat. dum ea quæ huiuſmodi negocio vſui erant, prouidet, & diſponit, magnam partẽ noctis aduigilauit. Ob eam cauſam arctior eum ſomnus, quàm ducum conſuetudo patitur, complexus eſt. dormienti S. Alexander in ſomnis denuntiare viſus eſt fore, vt niſi Bergomatibus parceret, et copias a mœnibus reduceret, ipſe

telo,

telo, quo armatus fuerat, transfixus caderet. id uiſum Raimondus non pro nihilo habendum duxit. itaque poſtero die cùm Bergomatum legati vrbe egreſsi eſſent, eoq. miſerabilius agerent, quò maius periculum impendebat: qui nullas pacis conditiones auribus admiſerat, placabilius reſpondit: Bergomatibusq. cũ multa caſtigatione nimij in Rep. Venet. ſtudij increpitis, ea condicione pacẽ dedit, vt xxx. millia aureorum perſoluerent. hinc cùm vrbem cum exigua manu ingreſſus eſſet, nihil ei potius fuit, quàm, vt templum S. Alexandri inuiſeret. Simon Brixianus templi Præpoſitus, ſumma grauitate & pietate vir, qui ibi deliteſcebat, & ſanctitatem templi inuiolatum præſtaturam ſperabat, euocatus eſt. is cùm ſe ad perniciẽ aliquam quæri arbitraretur, ſic animo conſternatus eſt; vt neque color, neque vultus ei conſtaret. Tandem ex magna trepidatione collecto animo Raimondum excepit. cum is obſecratione humili et ſupplici vſus eſſet, & Sancti Alexandri corpus veneratus, a precibus ad Bergomates conuerſus magnas, inquit, huic gratias habere debitis (digitum ad tabulam in qua S Alexandri imago

go

go erat, intendit) qui niſi vos præſidio texiſſet ſuo, peßimè hodie vobiſcum actum eſſet. Sexcenta alia proferri poſſent, in quibus commemoranda & diuina quædam in nos S. Alexandri propenſio perſpecta eſt: ſed è magno aceruo, quod ad alia properandum eſt, hæc pauca delegiſſe ſatis ſit.

SANCTORVM LVPI CONFESSORIS,

ADLEYDAE, GRATAE VIDVAE, ET HESTERIAE Virginis & Martyris Vitæ.

LABAN perſpecta Iacob generi fidelitate, qui mirabiles in paſcendis gregibus vtilitates ei præbuerat, hanc mercedem pepegiſſe ſacræ literæ teſtantur, vt quos fœtus varij coloris oues peperiſſent, Iacob ſecernerentur; qui nigri aut albi nati eſſent, Laban ſeponerentur. hoc præmio ita pacto, Iacob acutus & vſu peritus populeas & amygdalinas & plataninas frondes celeriter collegit: has partim direpto cortice albas reddidit, partim virides reliquit, et in canalibus diſpoſitas ouium oculis ſubiecit. In hanc coloris varietatem cùm oues, dum conciperent, intuerentur, fœtus fermè omnes varij coloris enixæ ſunt. Huius rei geſtæ ordinem Spiri- Geneſ. c.xxx.

tus

tus Sanctus æternis ſacrarum literarum monumentis mandari haud paſſus eſſet, niſi inſigne aliquod myſterium præmonſtrare voluiſſet. Quid enim paſtoris vocabulo potius, quàm præſidum & gubernatorum munus ſignificari intelligendum eſt? ouium autem nomine populi aptiſſimè deſignantur: populearum frondium appellatione virtutes et conſilia principum exprimuntur. Etenim eorum, qui rerump. gubernacula tractant, dicta et facta, tanquam exempla clara atque illuſtria ad imitandum cæteris propoſita ſunt: quæ dum populi intentis animorum oculis contemplantur, nullamq. diſciplinam meliorem, quàm regentium imitationem ducunt, non ſolùm conſilia mente cõcipiunt, quæ ad eorum ſtudia proximè accedant, ſed operum partus adeo ſimiles edunt, ut rectè perperamq factorum cauſa in principibus conſiſtere, iure videatur: & vt cupiditatibus vitijſq. Principum populi inficiuntur, ſic pietatis & continentiæ exemplo reſpublicæ præclarè conſtituãtur. Tres fermè rationes et viæ traduntur, quibus homines ad Dei cognitionem maximè perueniant. quarum prima eſt, vt cum terram media mundi ſede

mirabiliter locatam, eandemq. veſtitam floribus, arboribus, frugibus; cælumq. diſtinctum aſtris, tum cæli aſtrorumq. certos & ratos motus aſpicimus, diuinæ prouidentiæ hæc opera eſſe putemus. Altera lex diuina eſt, impietatis uitiorumq. emendatrix, pietatiſq. & aliarum virtutum conſiliatrix. Exemplum, quod a regentium vita & moribus peteretur, tertia numerabatur. Hæc poſtrema tanti momenti ac ponderis ad incendendos ad diuinum cultum animos ſemper exiſtimata eſt, vt priores illas duas mutas et inanimes, hanc autem viuam et loquẽtem legem ſapientiſsimi homines arbitrati ſint. Hæc boni exempli ratio cum ab alijs tum ab Apoſtolo tanti facta eſt, vt illius Epiſtolæ ijs ipſis vocibus plenæ ac refertæ ſint, quibus alios hortabatur, vt bonorum operum exemplum ſe præberent. verum quòd ea, quæ rationibus exquirimus, ex SS. Lupi, Adleydæ, Gratæ, & Heſteriæ inſtitutis facilius cognoſci poſſunt: quippe qui exẽplo plus, quàm vllo legum genere Bergomatibus profuerint, in explicandis eorum rebus geſtis noſtra potiſsimũ verſabitur oratio. Erat Crotatius nobili ortus loco. is Bergomi rerum potitus, cum

ob inſignem rei militaris ſcientiam, tum ob multas res præclarè geſtas, totius Venetiæ principatum obtinuit. Bergomates quòd iuſto & moderato ab eo regebantur imperio, ad memoriam nominis ſempiternam, columna collocata, ſtatuam ſummo artificio factã ei poni iuſſere, Crotatijq. nomen vt is viro haberetur honos, loco illi, vbi erecta fuerat, impoſuere. Poſteri corrupto vocabulo Plotatium appellauere. Anno a Chriſto nato cclxxxv. M. Caio Dalmata Summo Pont. Diocletiani Aureliani filijs imperantibus, Crotatio mortuo Lupus filius ſucceſſit. is non ſolùm patris gloriam, & rerum geſtarum præſtantiam imitatione aſſecutus eſt, ſed iuſtitiæ laude, morum integritate & dignitate vitæ omnes eius ætatis principes anteceſſit. in hac ſummæ virtutis indole nihil tam deſiderabatur, quàm vt repudiato Idolorum cultu, fidei chriſtianæ ſplendorem obtineret. ſummi Dei benignitate, qui omnes homines vult ſaluos fieri, factum eſt, vt ei rei conſuleretur. ſed diuini huius beneficij narratio altius ordienda eſt. Lupus Adleydam in matrimonium duxerat: ex qua vnicam filiam ſuſcepit. ea cum eximiæ formæ pulchritudi-

tudi-

tudine et conſimilibus forma moribus maximam gratiam a parẽtibus et ab omnibus, quibus poſtea vſa eſt, initura eſſet, Grata nomen traxiſſe ab re diuinitus uiſa eſt. Neq. verò huic ita nomen partum eſſe mirũ videri debet. nam priſcis tẽporibus compluribus ſummis viris non ab ijs rebus, quarũ effectus præſens iam adeſſet, aut præterijſſet, ſed ab ijs quæ ſecuturæ erant, nomina diuino conſilio impoſita ſunt. Abraham.n. quæ vox patrem multitudinis ſignificat, a ſobolis copia, quæ ab eo edenda erat, Deus vocitari iuſsit. Dauid, quod verbum manu fortem ſonat, a fortitudine, qua poſtea vigens & corpore et animo floruit, nominatum eſſe traditur: Abſalon quod vocabulum amaritiem patris exprimit, ab amaritie, quam patri hoſtiliter erat illaturus, nomen conſtitutum eſſe conſtat. Salomon, quo verbo vir pacificus deſignatur, à pace, quam tutam tranquillamq. acturus erat, appellatus eſt. Grata cum iam adulta eſſet et nubilis, cum forma excellens, tum ſpectatus pudor, qui mirabiles ſui amores in mentibus ſanorum hominum excitare ſolet, effecit, vt eam plurimi adoleſcentes, genere & copiis inſignes ſibi

vxorem expeterent. neque tantæ dignitatis ac venuſtatis fama ſe Italiæ terminis continuit, ſed in Germaniam quoque perlata eſt. Quamobrem iuuenis quidam Germanus regiæ nobilitatis, & ſummæ domi potentiæ (viri & gentis, ex qua fuerit nomen non traditur) miſsis Bergomū legatis, vt ea ſibi deſponderetur, poſtulauit. legati benignè et comiter a Lupo excepti ſunt, ſed tempus ad deliberandum ſumptum. inde concilio neceſſariorum vocato, ſententiæ exquiſitæ ſunt. quanquam omnium iudicio Germani conditio probabatur, & quam ſplendidiſsimis nuptijs puellam iungi placebat; tamen priuſquam deſponderetur, de omnium conſilio res ad eam delata eſt. Grata nequaquam viri & regionis externæ deſiderio, quod commune, et peruagatum complurium mulierum vitium eſſe ſolet, incenſa eſt, ſed virginali modeſtia ſibi a teneris ſtatutum eſſe reſpondet, patris voluntati obtemperare. verùm quòd poteſtati ſuæ huius rei deliberatio permitteretur, in præſentia, quid ageret non conſtare: petere vt triduum ad reſpondendum concederetur. id facilè impetratum eſt. Quid ſtatueret erat magni conſi-

ſilij.

ſilij. Chriſtiana religio, quæ tum Bergomi parum firmamenti ac roboris habebat, a nonnullis ſecretò colebatur. huius inſtitutis Grata imbuta, ſtudio virginitatis trahebatur, verbaq. illa ob oculos mentis verſabantur, quæ qui connubio abſtinuiſſent, angelorum inſtar fore demonſtrant. pietas rurſus, quæ parentibus præſtanda eſt, quamq. vel vultu lædi nefas habetur, vt patri morem gereret, poſtulare videbatur. ita ancipiti cura diſtrahebatur in deliberando animus. optimum viſum eſt interim obſecrationes dies ac noctes fieri petereq., vt quod ad diuinum honorem, & ad ſummam propriæ ſalutis rediturum eſſet, afflata diuino ſpiritu ſuſciperet. triduo intermiſſo ſe ſibi perſuadere Grata reſpondet patrem, quò prudentia ſuperior eſſet, eò etiam magis quid in rem ſuã eſſet, prouidere. idcircò ſe patris iudicio ſtare paratam eſſe, & quod ille conſtituiſſet amplecti.

Hac re cognita, res compoſita eſt. nuptiæ vero & ſi gratulatione, donisq. amicorum & propinquorum innumerabilibus celebratæ ſunt: tamen nihil æquè eos, qui aderant, delectauit, ac Gratæ pietas, manſuetudo & pudor: quæ eximiarum virtutum

deco-

decore præſtare, quàm auro, gemmis, & purpureis veſtibus fulgere malebat. Huic roganti pater facilè conceßit, vt veſtis, & mundus muliebris non odioſus, neque exquiſitus, ſed qui & ab immoderationis ſuſpicione, & ab ingratæ negligentia abeſſet, adhiberetur. & quamuis menſæ amplè magnificeq. inſtruerentur, poculaq. copiosè adminiſtrarentur: tamen nullæ ibi ebriorum voces exaudirentur, nec obſcæna verba fierent, ſed conuiuia eſſent illo ſilentio, & illo pudore, qui in modeſtißimorum principum nuptialibus conuiuijs verſari ſolet. cũ in Germaniã duceretur, magnus affuit comitatus, cùm amicorũ Bergomo multitudine proſequente, tum ab Germania plurimis obuiam ſe effundentibus. Ceperat iam ante Germanum ſponſum ex fama pulchritudinis, & virtutum admiratio puellæ, animoq. eximiam quandam formæ ſpeciem conceperat: cæterum præſentis decor expectationem vicit, eiq. non nata Grata, ſed Dei ipſius manibus facta viſa eſt. Nuptiæ itidẽ in Germania magno apparatu adornatæ ſunt, ludiq. magnificentißimi facti. Grata verò pudico ingenio, pia humilitate, & cultus, habitusq.

mo-

moderatione, non ſolùm a marito amorem ſibi & gratiam conciliauit, barbariemq. ex moribus & diſciplina deleuit, ſed intra paucos menſes eum ad normam euangelicæ pietatis erudiuit. ſed cum is immaturo interitu eſſet extinctus, et ſi Gratæ erat cariſsimus & iucundiſsimus; tamen ea neſas eſſe duxit, eius mortem lacrymis & lamentis muliebriter proſequi: cuius animam in ſedes piorũ conceſsiſſe ſibi perſuadebat. Ipſa depoſito regio ornatu, humili cultu, tenuiq. victu contenta ad præſtanda religionis, pietatisq. officia animum adiecit. et quamuis in rerum diuinarum contemplatione, ieiuniorumq. & precationum exercitatione plurimum ſtudij, operæq. ponebat: tamen præcipuam curam parandarum rerum, quæ pauperibus vſui et præſidio eſſe poſſent, habebat. ob eam rem non modo opibus ſuis aliorum neceſsitates, & inopiam ſuſtinuit, ſed valetudinaria, vbi egenorum ægrotantium corpora tecto & lecto reciperentur, ibi extruenda curauit. nulla item occaſio, quæ ad conſtituendos mores, dilatandamq. religionem Chriſtianam pertineret, ab ea prætermiſſa eſt. Lupus de generi morte certior factus, & ſi

Gra-

Gratæ pudicitiam eadem verecundia apud ſocerum, qua apud ſe ſeptam eſſe acceperat: tamen quod paternus, maternusq. amor liberorum cura anxius, ſolicitusq. eſt, & quæ abſunt pericula, ſæpe formidat, eò ſpectatæ integritatis viros, qui filiam in Italiam reduceret, miſit. id cùm cæteris, quos virtutis admiratio ad Gratam in illis locis conuerterat, permoleſtum accidit, tum præcipuè eius ſocero, cuius animus in nurus ſuauitate, pietateq. conquieſcebat. Cùm Bergomum perueniſſet, parentes, qui in longinquum tempus ſobolem ſibi propagare, et hæredem relinquere cogitarant, nouis nuptijs eam illigare tentarunt: Grata non modo quæ a D. Paulo de viduarum diſciplina conſcripta erant, memoria tenebat, probabatq., ſed etiam a ſpe rerum humanarum auerſa altè ſpectabat, & omnium cupiditatum ardore reſtincto, ad ſedes æternas omnes ſuas cogitationes intenderat, ſeq. totam cæleſti ſponſo addixerat. eam ob cauſſam patrem pluribus verbis obteſtata eſt, vt tãdem ijs conſilijs finẽ imponeret; neque in rebus fragilibus & caducis ullam ſpem poneret. ſe antea magis vt patri obſequeretur,

quàm

quàm ut propriæ voluntatis rationem duceret, nupſiſſe. hanc coniunctionem diuino conſilio diremptam eſſe. quaſi Deo grata, aut ſine ullo ſalutis diſcrimine fuiſſet, diuturniorem futuram fuiſſe: quando partem ſuæ ætatis humanæ ſocietati tribuiſſet, ſineret, quod reliquum eſſet, rerum diuinarum comteimplationi; ad quam cura omni ſtudioq. raperetur; impertiri; & quò nihil ſanctius eſt, aut laudabilius, mutuam parentibus charitatem præſtare; quodq. ipſo patre & matre Adleyda dignum eſſet, viduarum decus tueri: quod fieri poſſe intelligeret, ſi altero matrimonio temperaret. Lupi ratio a Gratæ ſentẽtia longè diuerſa erat, ſed quod in filiam præcipua indulgentia erat, & quæ ea dicebat, a virtutis fonte proficeſcebantur, eius ſtudio aduerſari auſus non eſt: attamen ut eam a ſolitudine vindicaret, quæ vitam incultam atque horridam reddit, optimum viſum eſt, ſociam ei parare, quia cum familiares conferre ſermones poſſet, et in eius ſuauitate conquieſcere. erat ea tẽpeſtate Heſteria honeſtiſſimo loco nata: cuius de laudibus ſic omnium erat fama conſentiens, ut nulla caſtior, nulla pietate humilitate, et officio ſanctior,

N nulla

nulla denique omni virtutum genere præſtantior eſſe putaretur. Hæc bonorum ſuorum magnam partem in alendos pauperes erogarat, & quò expeditius pietatis exercitationi vacaret, uitam uirginalem ducere ſtatuerat. quare quòd hæc ratio cum Grata conſilijs maximè congruebat, eam vitæ ſociam & officiorum conſortem Gratæ adiungere pater in animum induxit. Magnam habet vim ad coniungendas amicitias naturæ ac morum ſimilitudo præſertim bonorum: vix enim congreſſæ & collocutæ erant, cùm tanta ac tam intima charitate inter ſe deuinctæ ſunt, vt ſemper vna domus, idem victus fuerit; neque ſolum ſermones & conſilia, ſed etiam precationes & vigilias communi conſenſu ad communem vtilitatem accomodarint. Ad id verò potiſsimùm omnes cogitationes vtraque conuerterat, vt Lupum ab idolorum cultu ad veram religionem reuocaret. non facile erat Lupo ætate iam confecto & in vnica filia ore acquieſcenti quotidianas eius preces auerſari. id vnum eum maximè diſtinebat, quòd verebatur, ne id vſquam efferretur, & in Imperatorum odium offenſionemq. incurreret. dum in dubio

bio

bio eſt animus Alexãder Thebæus, qui palàm de Chriſtiana religione Bergomi prædicarat, ſecuri percuſſus eſt: cuius caput cùm Grata ſuſtuliſſet, idq. et reliquum corpus pro tẽporum illorum perturbatione honorificè ſepeliendum curaſſet: diuino conſilio factum eſt, vt qui corpus S. Alexandri efferebant, defeſſi, in itinere depoſito pheretro, tantiſper morarentur, dum ſe ex labore reficerent. quo in loco pheretrum poſitum eſt, ibi terra cruore perfuſa purpureos flores, ex quibus ſuauiſſimus odor efflabatur, edidit. hac oblata occaſione miraculi, Grata decerptorum florum faſciculum ad patrem attulit, & cùm rem omnem ordine narraſſet, ad patris nares flores admouit, atque odorare, inquit pater, et conſidera, quantum nos muta terra & elingues herbæ, & taciti flores virtute antecedant. hæres ſanguine eius, qui pro fide Chriſti vitã profudit, reſperſæ gaudij hæc dederũt ſigna: nos rationis compotes, qua nihil vberius, nihil præſtantius homini dari potuit; cuius præſidio cauſas rerum præſentium cognoſcimus, et futura longè proſpicimus, torpemus, quæq. inſtinctu diuino funduntur, negligimus? quin expergiſceris pater? non intelligis ex

hoc prodigio te penè ipſius Dei voce præmoneri, vt falſorum deorum cultum deſeras, & Chriſtum ducem ſequare? prætereunt dies, menſes, & anni, noſq. propius extremum tempus non ſentientes quotidie accedimus: parienda ſalutis occaſio non temerè dimittenda eſt. erige igitur te & præcaue, ne te ſeri conſilij pœniteat, & in miſeriam labaris ſempiternam. ſi hunc mihi timorem eripueris, magna me cura & angore, qui dies ac noctes me ſolicitam et anxiam habet, leuaris. Miraculo rei & filiæ oratione, tum tacito fletu, qui Gratæ vocem intercluſerat, Lupus cõmotus ſe repente a ſimulacrorum cultu auulſit: et qui non plus doctrinæ Chriſtianæ attigerat, quàm quantum ſubauſcultando filiæ voces exceperat, ſe totum ad Euangelij cognitionem contulit; breuiq. tantos proceſſus effecit, vt non ſolum ipſe Chriſtianæ religionis rationes optimè teneret, ſed docendo, monendo, & cohortando, aliorum ſaluti conſuleret, eiuſq. domus ludus & officina diſciplinæ Chriſtianæ haberetur. pacis concordiæq. domeſticam curam, iura ſummis infimiſq. moderando Lupus tenuerat; atq. ijs & alijs magnis in remp. meritis tantam ſibi

auctо-

auctoritatē comparauerat, vt quod ab eo fieret, id iure fieri ab omnibus putaretur. itaq. eo ad Chriſtum conuerſo, populus quoque Bergomas ab Idolatrarum inſtitutis deſciſcens Chriſtum ſecutus eſt. Templa plurima in vrbe à Bergomatibus falſis dijs conſecrata erant, eaq. deorum ſimulachris exornata. non ſolum ſimulachra euerſa ſunt, ſed etiam templa diruta: quodq. perceptæ veritatis ingens fuit argumentum, ſimulachra abſciſſa & detruncata inter proſtratos iacentia poſtes templorum, ſine vllo eorum deorum metu viſebantur. nouum vero templum, vbi Chriſtiano ritu ſacrificaretur, in ſummo colle exitatum eſt, Saluatoriq. Chriſto dicatum, & prædijs nonnullis donatum. ibi Lupus eiuſq. domeſtici ac neceſſarij baptiſmo initiati ſunt. Cum annos xv. Lupus Bergomum ſanctiſſimè prudenterq. rexiſſet, dignuſq. haberetur, quem ſecundum conditorem appellarent, periculoſo morbo implicitus eſt: quo ingraueſcente, cùm ſibi hinc excedendum intelligeret, accita Adleyda vxore et Grata filia, cæteriſq. cognatis, vrbiſq. primoribus adhibitis, de ſcribendis hæredibus ſtrictim breuiterq. locutus eſt. Hæc

enim

enim cura præ Chriſtianæ religionis ſtudio, leuis ducebatur: quare quod natura hortabatur, nulla lex prohibebat, fecit, vt vxorem filiamq. bonis ſuis hæredes inſtitueret. de pietate Chriſtiana copioſius egit. Eius orationis hæc fuit ſumma, vt in conſeruanda amplificandaq. pietate omnes curas cogitationeſq. ponerent: hanc virtutum omnium firmiſſimum fundamentum, hanc ſalutis arcem tutiſſimam, hanc piæ quietis portum tranquillum, hanc charitatis vinculum ducerent, hanc tuerentur, hanc delectarentur. Quòd ſi Bergomatis Eccleſiæ vires adhuc imbecillæ eſſent, diligentiam ad eam firmandam corroboramdamq. adhibendam eſſe: hanc eam eſſe virtutem, quæ omnia aſſequeretur: huius præſidio religionem quaſi per quoſdam gradus ſe ad ſumma elaturam. Quòd verò tunc maximè in animis hominum religio verſaretur, cùm virtutum exercitationibus vterentur, præcipuè iuſtitiam colendam eſſe: paci & concordiæ ſeruiendum: rerum ſacrarum habendam rationem: afflictis egentium fortunis conſulendum: ſubeunda pro fide Chriſti pericula: ſanctorum denique virorum inſiſtendum veſtigijs. hæc ſi promptè

ptè ſeruaſſent, & parere potius, quàm imperare parati ſuiſſent, non dubitare, quin et in hac & in futura vita ſummam felicitatem adepturi eſſent: propterea hoc loco non hortatione neque præceptis, ſed precibus paternis cum illis agere, vt circumſpicerent, ne quid eos, quod ad ſempiternam ſalutem pertineret, ſalleret. Hac oratione habita non multò poſt deceſsit, et in æde Saluatoris, quam condiderat, anno a Chriſto nato ccc.v. idus Iunij ſepultus eſt. Ducis titulo Lupum ciuitatem adminiſtraſſe quidam auctores ſunt. ego, quibus rationibus adducti id pro certo poſuerint, non ſatis intelligo. nam Duces Alboino Longobardorum rege ingentibns peditũ, equitumq. copijs in Italiã irrumpente primum conſtitui cœpti ſunt: inde anno D.lxxv. Clephone rege mortuo Longobardi proceres a creando rege abſtinendum cenſuere, diuiſoq. inter ſe regno ad formulam quam noſtri tẽporis Duces ſecuti ſunt, ſe Duces creauere, hiq. conſociatis inter ſe conſilijs & iunctis animis, populis, qui in ditione eorum erant, arbitrio ſuo pecunias imperarunt, & vitæ necisq. habuerunt poteſtatem: tum bellum, pacem fœdera, ſocietates,

cum

cum quibus voluerunt, fecere, dirimereq. Ducum, qui in rebus publicis, conſilij publici capita extitere, longè poſt initium fuit. quare haud credibile eſt, Lupum, qui annis fermè cc. lxviij. ante quam Longobardi regnarent, Bergomi rerum potitus eſt, Ducis nomen, quod nondum in conſuetudinem inductum erat, vſurpaſſe: præſertim cùm ex Romanorum auctoritate arbitrioq. quorum in Imperium omnia ceſſerant, Bergomates penderent. ſuperioribus quidem temporibuſs, quibus aut magiſtratus Romani, aut Imperatores Italiam rexere, cuiq. municipio mandandi magiſtratus ſuos municipales ius erat. quare & ſi legibus cautum erat, ne vllus magiſtratus plus quam annum aut ſummum biennium continuaretur: tamen adducor, vt credam Bergomates priuilegio aliquo aut legũ uetuſtarum deſſuetudine Lupũ & eius ſucceſſores rectores et moderatores reip. præpoſuiſſe perpetuos, peneſq. eos ſummam reip. eſſe voluiſſe: poſteros, quòd honoris nomen, quem Lupus geſſerat, non extabat, probabili errori accõmodata fide, ad ſimilitudinem eorum, qui longe poſt regnarunt, Ducem eum appellaſſe,

num-

nummosq. in quibus effigiem Lupi expreſſerunt, id capitis inſigne geſtantis, quo nunc Dux Venetiarum vtitur, cudiſſe.

DE S. ADLEYDA.

MOrtuo Lupo Adleyda vxor procul a virorum conſuetudine & rerum humanarum anfractu in templis & obſecrationibus et ieiunijs vitam agere, & Annam viduam imitari ſtatuerat, curamq. vrbis vt ingratam, & maioris ponderis, quàm vt eam muliebres vires ſuſtinere poſſent, aſpernabatur. verùm quòd incredibilis quædam conſilij ingenijq. magnitudo in ea elucebat, Bergomatum ſtudijs, qui ſummam rerum ad eam ingenti conſenſu detulerunt, ſententiam mutare coacta eſt. Ita enim plerunque fieri videmus, vt quò plus grauitatis, integritatis ac magnitudinis animi in aliquo ſit, eò minus, difficultatibus rerum circunſpectis, honores & magiſtratus ab eo expetantur. Quin illas reſp. optimè conſtitutas ſapientes eſſe cenſuerunt, in quibus delati honores non facile acciperentur, aut interdum deponerentur. vbi autem ſumma ambitio-

ne contenderentur, ibi res ægras curationibus egere putabant: quòd vt quiſque animo ambitioſo & gloriæ cupido eſt, ita ad committenda facinora facile impellatur. non eſt tamen inhumana virtus neque ſuperba ſed conſilium tanquam nauigium aliquod ex tempeſtate moderatur, & ſimul ac aut afflictos excitare, aut populis opem ferre, aut periculis liberare poſſe videt, lucem conſilij & auxilij ſui facile porrigit, omniaq. vtilitate communi metitur. Adleydæ autem tantus in ſumma omnium rerum poteſtate modus, tamq. incredibilis ſapientia extitit, vt quantò ſuperiores Lupus vicerat, tantò Adleyda omnibus præſtare videretur. inſtituto verò ſuo in primis religioni, quæ omniũ ciuilium prócurationũ fundamentum eſt, ſtuduit. templum in ſummo colle extruxit, idque S. Mariæ dicauit: cui poſtea ædes, vbi S. Gratæ Moniales nunc habitant, continuatæ ſunt. aliud in foro veteri condidit & S. Michaeli, conſecrauit id a propinquo arcu S. Michaelis arcus nomine appel lauere. prædia item ei attribuit, quorum fructibus, ſacerdotes, qui templo præeſſent, alerentur. cùm annum vnum dies duodeuiginti Bergomates ſan-

ctiſsimè gubernaſſet, optimisq; inſtitutis rempub. Bergomatem firmaſſet, religionemq. cõſtabiliſſet, eaq. magna et clara antea, maior et clarior haberi cæpiſſet v. Cal. Iulij anno ccc.i. Marco Marcellino Sum. Pont. in cælum exceſsit, eius corpus in S. Mariæ ſacello, quod ipſa ædificauerat, pie honorificeq. pro temporũ illorũ facultatibus reconditũ.

DE S. GRATA.

M*Agnum accepiſſe vulnus Adleydæ morte populus Bergomas exiſtimatus eſt, ſtatimq. ciues, cui rempub. Bergomatem committerent, conſultarunt. Grata ſpecimen iuſtitiæ ingentis ac pietatis dederat: & non ſolum magna integritate et ſanctitate matronale decus ſeruaſſe ferebatur, ſed multa eius in vrbe & prouiſa prudenter & acta conſtanter, & reſponſa pie & religiosè commemorabantur. itaq. cum ciuitas meliore ſe conditione, & imperio æquiore vſuram putaret, ſi regimen penes eam fuiſset, reipub. Bergomatis gubernacula ei mandauit. ea erat Grata, quæ beneficio ciues, quàm metu ſibi obligare mallet, & populum fide ac ſocietate iunctum habere, quam triſti ſubiectum ſeruitio. itaq. cum in omni*

O 2 ſer-

ſermone ſe omnibus affabilem præberet, & quanta maxima poterat beneficia in omnes conferret, tanto obtemperandi ſtudio incenſi ſunt, vt remota vi poteſtatis et legum, pœnarumq. metu, gratia & voluntatis ſignificatione, & quaſi nutu ciuitatem gubernaret. in ſuo tamen cuique tribuendo magna ſolertia adhibita eſt, amoreq., odio, metu, & cupiditatibus amotis Grata leges, religionem & fidem in conſilio habuit: req. non verbis ſolum, quid fieri oporteret docuit. quidquid temporis a publico officio uacabat, in ſacris obeundis, obſecrationibusq. faciendis conſumebat. tria templa magnifica ædificauit, ſanctoq. Alexandro dicauit, vt ſupra in eius vita commemoratum eſt. Omnium illud maximum eius operum fuit, quod valetudinarium ad pauperes ægrotantes alendos, curandosq. vbi nunc vicus Canalis eſt ſitus, conſtruxit. ibi non ſolum ingraueſcentem iam ætatem ſanctè & religiosè tranſegit, ſed morbo laborantibus medicamenta proprijs manibus adhibuit. tandem multis exhauſtis laboribus graui morbo oppreſſa anno a Chriſto nato ccc. v. ætatis ſuæ lx. iiij. verò, quam ei reip. Bergomatis procuratio mandata

data fuerat vi. Cal. Sept. in beatorum cœtum aduolauit, miraculis inſignis. corpus eius in eo loco, quem ædificauerat primo conditum eſt. anno poſtea M.xxvij. ſummo Pont. Ioanne XX. Ambroſio Martinengo Bergomi Epiſcopo, Virgines moniales; quæ S. Mariæ veteris templo inſeruiebant, plurimum ad pietatem, & ad Dei cultum lociq. dignitatem intereſſe ratæ, ſi corpus S. Gratæ ad ſuas ſedes tranſtuliſſent, hanc rem ab Ambroſio magno ſtudio ſupplicibusq. verbis contenderũt. qua re conceſſa, ſingularis cura atque opera poſita eſt, vt honorificentiſſimè & magnificentiſſimè transferretur. itaque omnibus ſacerdotibus accerſitis, atque omnibus rebus ad tranſlationem comparatis, corpus, quod in primo tumulo ad Dccxx. annos permanſerat, aſportari cæptum eſt. cùm ad eum locum, qui templo S. Ioannis ſubiectus ripa rubea appellatur, eſſet peruentum, corpus mirabiliter conſtitit. ijs autem, qui corpus efferebant, id enixè auellere conantibus, non prius inde amoueri potuit, quàm magni honores et preces Deo adhibitæ ſunt. tum verò corpus elatum, & in templo S. Mariæ, quod poſtea S. Gratæ nomine nuncu-

pa-

parunt, locatum eſt, ibiq. vſque ad hanc diem religioſiſſimè aſſeruatum & cultum.

DE S. HESTERIA.

HESTERIA, *quam Chriſtianæ pietatis diſciplina imbutam, Gratæ ſociam Lupus aſciuerat, poſt Gratæ mortem, propter virtutum præſtantiam digna habita eſt, cui populus Bergomas moderandi ac regendi ſui poteſtatem traderet. Bergomates Chriſtianæ religioni ſtudere, ad Maximianum delatum fuerat. hanc ille capitali odio inſectabatur. ob eam rem, vt edicto ſancitum fuerat, lectionis decretum aſſenſione & auctoritate Imperatoris comprobandum erat. Bergomates celeriter miſſis Legatis, id ab eo ſuppliciter poſtularunt. is ſe ſtudio & voluntati Bergomatum obſecuturum reſpondit, ſi Heſteria, quæ Chriſtianæ religionis accuſabatur, innoxia comperta eſſet. In eam rem Arius, & Iulianus iudices dati. Hi vbi in Heſteriæ conſpectum venerunt Imperatoris mandata exponunt, ſolicitantq. adhortationibus, vt antiquiſſimam Romanorum religio-*

gio-

gionem ſequi, quàm in noua Chriſtianorum ſuperſtitione perſtare mallet. quod ſi faceret, ſummam rerum Bergomi penes eam futuram, vitamq. honeſtißimam, iucundam & tranquillam cum cognatis ac neceſſariјs acturam. illos enim ab Imperatore ad regendas ciuitates deligi ſolitos, quorum inter ciues religionis opinio eſſet ſingularis. ſimul docent ſatis exemplorum alienas calamitates præbuiſſe. Alexandrum, qui magno in honore apud Imperatorem eſſe potuerit, dilirationibus ſuis periјſſe: ne quæreret ipſa aliјs exemplo eſſe. Heſteria Chriſtianißimum animum gerebat, Alexandrumq. ſanctè venerata fuerat: ſed fœda rerum atrocitate perterrita ad eam diem ſuum ſtudium profiteri auſa non erat. Hæc tum Alexandri mentione excitata, vincente metum pietate, quod ante tacuerat, expromit. nihil mihi optatius, inquit, poteſt accidere, quàm ſi eadem præmia, quibus Alexander eſt affectus, mihi decernantur. non ego eum mortem oppetiſſe, ſed immortalitatem aſſecutum arbitror: qui pro Chriſti religione vitam reddiderit. Honores, quos vos pollicemini pro nihilo puto: in quibus multò plus

mo-

moleſtiæ & periculi, quàm lætitiæ eſſe perſpicio. Ego ita ab ineunte ætate inſtituta ſum, vt gloriam non fama populari, ſed rerum humanarum deſpicientia, & Dei honore metiar. magnam vim, fateor, magnam poſſidet religionem paternus, maternusq. ſanguis: patria nihil poteſt eſſe iucundius: ſaluberrimis collibus, vrbis tectis, hoc cælo, ſub quo nata educataq. ſum, vehementer cõmoueor: cognatorum, ac neceſſariorum charitas, magnam apud me habet auctoritatem: ſed pietas erga Deũ hæc omnia ſuperat: alium mundum, hoc in quo verſamur, pulchriorem et ſtabiliorem ſpecto: patria alia, quæ eſt cæleſtis Hieroſolyma, cuius fines Deus pacem poſuit, mihi propoſita eſt. Hanc ſuapte natura tutam & inexpugnabilem, nullus Maximianus circumſedere, non vi & armis opprimere poterit. Huc alacri tendo animo: hic roſam ſine ſpinis decerpam, nimirum ſumma lætitia ſine vlla dolorum admiſtione perfrui licebit. hic fratrum & propinquorum veras cognationes agnoſcam. quo in cœtu iij, qui pro Chriſtiana religione fortiſsimè dimicarunt, a me numerantur. hic non certamina artium, aut virium, ſed ſumma Dei

ma-

maieſtas ſpectaculo eſt. hic non ludicra, ſed vindicis noſtri Chriſti benignitas maximo Angelorum, Prophetarum, & Patriarcharum cœtu celebratur: hic ab certis gaudijs tanti plauſus excitantur, vt facilè appareat, nec oculum vidiſſe, nec in cor hominis aſcendiſſe, quæ Deus diligentibus ſe præpararit. quare me ad perniciem meam cohortari deſiſtatis: neque.n. vllis pollicitationibus aut minis a propoſito conſilio auocari potero. ijs auditis, iudicibus ſpes omnis flectendi Heſteriam abſciſſa eſt. itaq. multis verbis vltro citroq. habitis tandem aut Iouis ſimulachrum adorare, aut ceruicem dare iuſſa eſt. vt ſciatis, inquit Heſteria, quàm vilis vita ſit ijs, qui cæleſtem gloriam petunt, en ceruix mea vobis præſto eſt: in hanc ſæuite, in hanc ferrum irasq. acuite: crudelitatem veſtram non modò æquo animo, ſed etiam libenti per ferre ſtatutum eſt. abſciſſo capite vberrimū tulit martyrij et virginitatis præmium iiij. Idus Aug. anno ccc.vij. primò eius corpus conditū in maiori altari S. Alexādri diutiſſimè manſit: inde in locū ubi SS. Proiectitij, Iacobi, et Ioannis corpora ſita erant, Roberti Bongi Epiſcopi opera illatum eſt.

SS. MARTYRVM DOMNEONIS, DOMNONIS, ET EVSEBIAE virg. & mar. Vitæ.

CVM Gedeon infinitam Madianitarum multitudinem, quæ in valle conſederat, trecentorum tantùm virorũ agmine aggreſſurus eſſet, milites ſuos lagenis ardentes lampadas abdere iuſsit. inde cum copijs admotis, corona caſtra cinxiſſet, colliſis confractisq. lagenis, repente incluſum lumen reluxit. Hac repentina, inopinataq. flammarum ſpecie, & tubarum ſonitu, fremitu orto, ſic hoſtes conſternati ſunt, vt non ſolum in ſuos impetum verterent, ſed etiam trepidi magno cumſtrepitu & tumultu ſe caſtris omnes eijcerent, & qui mutuæ nocturnæq. ipſorum cædi ſuperfuerunt, diſsipati, per arcta præruptaq. omnia velut cæci euaderent, & in circumiecta loca dilaberentur. Forti hoc incœpto non ſolum eximia Gedeonis

Iudic. vij.

gratia. quam a Deo inierat, demonſtrata eſt, ſed quid Deus in ſanctis ſuis effecturus eſſet, adumbratum. nam & hi & genere & numero infimi homines, et plerunq. ſtulti habiti, euangelici ſplendoris apparatu, caſtra impietatis, quæ latiſsimè patebant, adorti expugnauerunt. tumq. cùm tanquam fictilia vaſa eorum corpora cruciatibus contrita ſunt, ea pietatis lux refulſit, vt qui fidei infenſi erant, prope attoniti, relictis caſtris impietatis, ad Chriſti Eccleſiam confugerint. Hoc in numero Domneo, Domno, & Euſebia martyres fuerunt: quorum patientia & fide perſpecta plurimi ſuauiſsimum Chriſti iugum ſubiere.

DE S. DOMNEONE MART.

D*Omneo Bergomas domi ſuæ nobilis, quo tempore Maximianus Herculeus inſatiabilem crudelitatem in Chriſtianos exercebat, ipſe ieiunijs, precationibus, & reliquis pietatis officijs Bergomi vitam traducebat: tantoq. ſtudio Chriſtianæ religionis flagrauit, vt cùm in idolorum cultores acerbius inuectus ſit, tum Maximiano non*

du-

dubitarit per nuncios immanitatem & impietatem grauiſsimis & doctiſsimis verbis exprobrare. eam ob cauſſam Maximianus ira inflammatus, miſsis Bergomum miniſtris, cum reliquos Chriſtianos, tum præcipuè Domneonem obtruncari iuſsit. is caput abſciſſum ſuſtuliſſe, & ad lapidem quendam, qui extra templum S. Andreæ locatus erat, geſtaſſe memoratur: quo miraculo complures ad Deum conuerſi ſunt. eius corpus in eodem templo ſepultum eſt. xvij. Cal. Aug. anno ccc. vi.

DE S. DOMNONE MART.

Domno Domneonis nepos auitos mores & diſciplinam imitatus, compoſitis ſuis rebus Euſebiaq. ſorore herede inſtituta, in conſpectu præſidis, quem Maximianus ad inſpiciendas res Bergomates miſerat, ſe Chriſtianum eſſe, præſenti animo profeſſus eſt. iccirco ſtatim in carcerẽ conijcitur. paullò poſt cùm eductus eſſet, ardentibusq. prunis in caput iniectis torreretur, non modò non queſtus eſt, ſed immortales Deo gratias egit, qui occaſionem cæleſtis coronæ adipiſcendæ obtuliſſet. virtutis eius admiratione Conſiliarius, qui Præſidis erat intimus, ad Chriſti fidem conuerſus eſt.

Ipſe

Ipſe cum diutiſsimè acerbiſsimis tormentis excruciatus eſſet, et ludibrio habitus, tandem extra portam necatus eſt, & laurea triumphali coronatus cælum aſcendit. eius corpus in aui ſepulcro repoſitum eſt. nonis Ianuarij. anno ccc. vij.

DE S. EVSEBIA VIRG. ET MAR.

EVſebia Domnonis ſoror, Domneonisq. neptis, ſuſcepta fide, ſpretis mundi blanditijs, virginalem vitam perpetuò coluit, domeſticoq. inſtituto, hoſpitio peregrinos excepit, ieiunijs cilicio, vigilijs auitam & fraternam pietatem æquauit: opes a fratre relictas egentibus erogauit. & quamuis in obſecrationibus pernoctaret, tamen inſuper mane ſe domo ſubducebat, et in templum S. Andreæ ingreſſa, et in angulo abdita preces adhibebat. tota denique contemplationibus addicta, mente & animo in cælis verſabatur. ea re cognita præſes Euſebiam ſibi ſiſti imperat: quæ cùm in conſpectu eius ſe apollinis ſimulacro ſacrificium oblaturam negaret, capite abſciſſo, uirginitatis palmã, martyrij laurea cumulauit, et in aui, fratrisq. ſepulcrum nocte clàm a fidelibus illata eſt. iiij. Cal. Nouemb. anno cccvii.

SS. FIRMI ET RVSTICI MARTYRVM, Vitæ.

QVI conſilii magnitudine et prudentiæ gloria cæteris præſtare ſtudent, primùm optimum et præclarum aliquem finem, quò rationes ſuas referant, ſibi conſtituunt: deinde ea, quæ quò intendunt, ferant, & deducant, indagare ſolent. vt gubernatori curſus ſecundus, medico ægrotantium ſalus, Imperatori victoria propoſita eſt: ſic fidelibus cæleſte domicilium tanquam finis, quò curſum ſuum dirigāt, ante oculos mentis verſari debet. nam vt omittā, quòd hoc loco quietis, trāquillitatiſq. pleno, infinita iucunda et ſempiterna omniū bonorum copia cōtineatur, hunc ad finem homo a Deo cōditus eſt. qui etiam immenſò erga genus humanum amore adductus non modò nos labentes excepit, et corruere non ſiuit, ſed eandem felicitatem, qua ipſe potitur, ſe nobis impartiturum pollicitus eſt. ſi quis

verò viam, quæ ad æternas ſedes ducit, quærat, ea proxima trita, & expeditiſſima eſt, vt depoſito corporis obſequio, & indulgentia, & ſublata in humeros cruce, Chriſtum ſequatur. Hæc via, quò anguſtior, aſperior, & arrectior, eò tutior ſemper habita eſt. hac cum Chriſtus ipſe, tum innuberabiles ſancti viri, rerum cæleſtium ſtudio tracti, iter inſtituerunt: ab omnibus enim illa
Pſal.65. *vox reddita eſt: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra: tranſiuimus per ignem & aquam & eduxiſti nos in refrigerium. illa vero Eccleſiæ verba, quid tandem argumenti & rationis habent? nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem ſicut tabernacula Cedar & ſicut pelles Solomonis. Solomonis pelles extrinſecus obſoletæ & deformes erant: intus miro decore & clariſſimis ſparſæ maculis cernebantur. Hæ pelles ſanctorum virorum imaginem gerebant: nam & ij in ſpeciem pallore & macie perempti, omnibus vexati contumelijs, iniurijs iactati, virgis cæſi, & vltima ſupplicia perpeſſi mundo contemptui fuere: in mente autem ipſorum eximia pulchritudinis dignitas inſidebat; & copioſa admirandaq. vir-*

tu-

tutum & cæleſtium donorum varietas, quæ eos inuictos præſtaret, elucebat. Quòd ſe iccirco nigram fuiſſe aiebat, quia Sol eam decoloraſſet: ijs vocibus illa ſententia ſubiecta eſt, quòd ſumma Chriſti charitas, qui verus iuſtitiæ & ſanctitatis Sol ſemper exiſtimatus eſt, ea ſtudia in animis ſanctorum hominum excitarit, vt non modò corpora ſua ærumnarum ardoribus obiecerint, ſed alacri animo, et hilari vultu ad mortem contenderint. ſed ne diutius legentium expectatio ſuſpenſa teneatur, id exemplo SS. Firmi & Ruſtici demonſtrandum eſt. Fortium autem virorum conſilia, quamuis alieni & externi ſint, tamen laudibus ſolemus extollere. ſed ſi domeſtica exempla quaſi theatro propoſita ſint, tum magis neſcio quomodo & pleniore ore laudamus, & ad imitationem & pietatem inflammamur. quare vt pomorum ſuauitate, & pulchritudine, ſi ea patriæ arbores tulerint, magis delectamur: eaq. libentius tractamus, intuemur, olfacimus, guſtamus, amicis impartimur, quòd naturale ſtirpis bonum, vnde orta ſunt, ad ornamentum noſtrum redundare videatur: ſic cum Firmi & Ruſtici

qui hinc ortum habuerunt, ſummam grauitatem, eximiam fortitudinem, inauditam quãdam conſtantiam audiemus, non ſecus ac ſi hæc ſit huius ſoli, atque huius cæli domeſtica & natiua fœcunditas, vt viros præſtantes virtutibus edat, non poterimus non ingenti gaudio cumulari, vehementiusq. ad eorum imitationem, auxilijq. implorationem excitari. verùm vt quod diuino beneficio datum atque oblatum eſt, re ipſa experiamur, virtutum narratio inchoanda eſt.

Firmus Bergomi loco nobili ortus ex Crotorum familia, Chriſtianam diſciplinam edoctus eſt, breuiq. tantum firmamenti & roboris eius fides habuit, vt etſi grauia edicta locis frequentibus Maximiani Imperatoris iuſſu proponerentur, ſacrisq. Chriſtianis minaciter interdiceretur, & in eos, qui in hac deprehẽſi eſſent, acerbiſſimè ſæuiretur: is tamen non modò a ſuſcepta ratione non deſiſteret, ſed Spiritus ſancti præſidio alios ad Chriſtianam pietatẽ incitaret. Etenim eos in fide radices parũ altè egiſſe contendebat, qui pro nomine Ieſu contumelias ferre non in lucro ponerẽt. addebat breuem eſſe debere rationem placendi hominibus: huc

om-

omnem animum intendendum, vt Deo placeremus. docebat item veteres philoſophos in primo & altiſsimo gradu eos collocaſſe, qui repudiatis, qui hic malis artibus pararentur, honoribus, id tantum, quod honeſtum eſſet, per ſe expetendum putaſſent: ſecundum eos obtinere viſos, qui præmiorum ſpe illecti virtuti ſtuduiſſent: quemadmodum tertium & infimum his deberi cenſuiſsent, qui pœnarum metu perterriti legibus paruiſſent. multis argumentis oſtendebat in paranda diuinæ gratia ſimillimam eſse rerum noſtrarũ rationem, pietatisq. quæ Deo præſtaretur, gradus ſic eſſe diſtinctos: manibus pedibusq. omnia obnixè facienda, vt inter primos nobis locus eſſet. ipſe quo inſtructior erat omnibus diuinæ gratiæ bonis, eò maiorem materiam ſubleuandæ alienæ egeſtatis, charitatisq. exercendæ, & propriæ carnis edomandæ proponi ſibi perſuadebat. itaque afflictis pauperum fortunis miſericordia eius patebat: peregrinorum & ægrorum concurſu domus eius frequentabatur: caro vigilijs ieiunijsq. aſperrimis premebatur: animi, ingenijq. naturale quoddam quaſi pabulum obſecratio, contemplatioq. erat.

Breui pietatis eius officia non modò tota vrbe ac finibus agri Bergomatis celeberrima ac notiſsima fuere, ſed ſama in omnem Galliæ Ciſalpinæ oram peruaſere, resq. ad Maximianũ, qui tum Mediolani conſtiterat, & fœda exempla cruciatusq. in Chriſtianos edebat, perlata eſt. Maximianus Firmum ſpectatum & cognitum habebat. ob eam rem tantus huic ex ſuſcepta Firmi religione inceſſit dolor, tantaq. cupido delendi Chriſtiani nominis, vt magnam militum manum, cui Quæſtorem præfecerat, Bergomum ſubitò ad retinendum Firmum miſerit. Ruri tum procul foro & vrbanis honoribus Firmus vitam agebat, omnesq ſuas curas in rerum diuinarum exercitatione defixerat. milites re cognita eò contendunt, oppreſſumq. Firmum vinciunt, & mortem denunciantes ſi reſiſteret, aut cunctaretur, Mediolanum pertrahere cæperunt. In eo itinere in Ruſticum, qui Firmo affinitate & piorum ſtudiorum ſocietate ac ſimilitudine coniunctus erat, incidunt. Is Firmum vinctum, & imperatoria ſatellitum caterua ſtipatum conſpicatus, id quod res erat, exiſtimauit; eum de religione Chriſtiana poſtulatum. nullo tamen

men

men periculo deterritus eſt, quin ſe ei ſocium adderet. tantum in ijs, qui verè pietatem Chriſtianam edocti ſunt, inſidet virtutis, vt illuſtrandæ fidei et adipiſcendæ cæleſtis gloriæ cauſa, vel vltima audere et pati parati ſint. Maximiani ſatellites Chriſtum ſeditionis nomine damnatum, et in crucem actum fama acceperant. itaq. primo irridere Firmi et Ruſtici cõſilium, quòd hominis turbulẽti & mali ſtudio mortem oppetere non dubitarent: deinde magnitudinẽ animi, et Chriſtianæ religionis uim admirari: quæ nõ modò nullo tormentorũ aut cædis metu reprimi poſſet, ſed quò accuratius eius euerſioni ſtuderetur, eò magis ſe ſe erigeret, atq. extolleret. Hæc etſi ita erant, tamen Imperatoris gratiã, quem huic hominum generi infeſtiſſimum eſſe meminerant, omnibus rationibus anteponendam cenſebant. ob eam rem cum Seruatorem ipſum Chriſtum grauiſſimè execrati ſunt, tum Firmum & Ruſticum vinculis conſtrictos, verberibus et contumelioſis vocibus exagitarunt, onereq. graui humeris impoſito, eos Mediolanũ præcipites egerunt. non ſuccubuere fortiſſimi viri labori aut dolori vlli, ſed ſe & grauiſſimis diuina-

rum litterarum; oraculorumq. ſententijs & ſpe futuræ gloriæ ſuſtentarunt. cùm Mediolanum eſſet peruentum, in carcerem coniecti ſunt, ijsq. Anolinus, qui magno in honore apud Imperatorem erat, cuſtos adhibitus. poſtridie eius diei ex carcere educti ad Imperatoris conſpectum pertrahuntur. ibi interrogati, cur non deos patrios colerent, haud perplexè confeſſi ſunt ſe deorum multitudinem execrari, vnumq. deum venerari, qui cælum ac terras, quæq. ijs continerentur, ex nihilo condidiſſet, & condita tueretur. Melius eos rebus ſuis conſulturos Imperator, reſpondet ſi Chriſtianam religionem aſpernati, more inſtitutoq. maiorum Saturno Apolliniq. ſacrificaſſent. quòd ſi id facere neglexiſſent, ſe atrociſſimè in eos animaduerſurum; eosq. cæteris documento futuros, nequis talem amentiam vellet imitari. minarum atrocitate impauidis Firmi & Ruſtici pectoribus nullus terror iniectus eſt, ſed nefas ſibi eſſe dixerunt alium Deum colere, quàm qui verus Deus ſemper habitus eſſet. quòd ſi vel illius ſententiæ ſtandum eſſet, quem ſapientiſſimum & Græci & Latini iudicaſſent, Socratem pronunciaſſe, alio

ritu

ritu nullum Deum colendum, quàm quem Deus ipſe præfiniſſet. itaque non poſſe ſe a ſuſcepto conſilio deduci, quòd Deus grauiſſimas pœnas ijs interminatus eſſet, qui Deorum ſimulacra venerarentur. Deo deinde vero et vni ad comminuenda et excindenda ſimulacra vires non deeſſe: magnam verò illorum deorum turbam ad prohibenda ſacra Chriſtiana, nihil valere. eundem deniq. Prophetarum oraculis, quæ de Chriſti nece, & Apoſtolorum ſupplicijs & gloria, & ſimulacrorum euerſione vera cecidiſſent, præſignificaſſe, & miraculis comprobaſſe: eorum verò deos ſemper falſa, quæq. occultas in fraudes incautos conijcerent, præcinuiße. quamobrem ſe nunquam his, quæ dolo ac fraude dæmonis Imperator falsò credidißet, aſſenſuros, ſed, quæ Euangelica lege præſcripta eſſent, ſecuturos. Hac re audita, Imperator elatus ira flagra, ſecurim, & crucem proferri iuſſit. etſi diutißimè verberibus cæſi ſunt, indeq. nonnullos dies in interiori cuſtodia aſſeruati, & fame macerati, tamen nullo malo a colenda religione Chriſtiana, ad veneranda Idola eorum mentes flecti potuerunt. quæ cùm Imperator

cer-

cerneret, obſequio & malitioſis blanditijs eos delinire, & ad ſuam ſententiam perducere conatur. Veterator eſt dæmon, & natura vſuq. callidus: quibus quiſque capiatur, optimè tenet: in omnes ſe partes ſagaciter & inſidioſè torquet, & flectit: in omnium conſuetudinem ſe facilè inſinuat. qui effrænata libidine feruntur, eorum peccatis indulget, affluentemq. copiam voluptatum & illecebras libidinum ſubminiſtrat: quos inaniter & effuſè exultare cognoſcit, falſorum honorum ſplendorem obijcit. quos metu frangi ac debilitari videt, his terrorem inijcit. vbi vna parùm proceßit, alia aggreditur via. qui ſe inuictos à laboribus & cruciatibus præſtant, eorum robur & magnitudinem animi, officiorum ſimulatione & pollicitationum illecebris, fallaciter labefactare ſtudet. Et vt qui munitas vrbes inuadunt, vbi aperta vi propalàm muros tranſcendi non poſſe ſentiunt, fraude ac dolo aggrediuntur: ſic perpetuus hoſtis, quos ſuppliciorum atrocitate expugnare non poteſt, delinimentis à Deo auertere conatur. verùm Firmi ac Ruſtici animi erant diuinæ ſapientiæ præſidio firmati, diabolicosq. ictus optimè

mè eludebant. quare in his ſallendis vanum inceptum fuit. Etenim cùm decoris veſtibus eos imperator indui iuſsiſſet, & in conſpectu ſuo conſiſtere, pollicetur, ſi ſibi obtemperarent, ſe eos ad ſummas opes et eximias dignitates perducturum, eosq. iucundè victuros, & præſentibus fruituros voluptatibus. ſin inſanire perſeuerarent, reminiſcerentur, & recentis incommodi Chriſtianorum, & adhibitæ a ſe in eos ſeueritatis. his Firmus ita reſpõdet. Quid nobis voluptates narras? nobis hæ voluptates cordi non ſunt, quæ vitam acerbiſsimam reddunt, quasq. ſi reijcimus iucundiores cõſequimur voluptates. Chriſti ſectatoribus molliter ac delicatè viuere non ſolum turpe eſt, ſed etiam corporis voluptas, non ſatis digna hominis præſtantia videtur: cuius mens agendo contemplandoq. ali debet, non voluptate diffluere. pecudibus hæc relinquenda ſunt. quare veſtes etiam iſtas tuas deponimus. ille enim habitu decoro eſt, qui Chriſtum induit. honores quoque, quos te delaturum dicis, reſpuimus, qui animas noſtras dedecorant: quorum ſplendor citò defloreſcit, et extinguitur. quanti verò tuas opes illis eſſe exiſtimas, quibus totus

mundus contemptui eſt; quiq. omnem pecuniam ſubter ſe habent? omnia, quæ oculis cerni poſſunt, cum exiguæ eius gloriæ, ad quam aſpiramus, particula conferenda non ſunt. Nos quoque & laudis cupiditas, & timor ignominiæ ad virtutem excitat. nos item guadiorum, opum, dignitatum honorum ſtudia trahunt, ſed cæleſtium. horum amplitudinem & ſplendorem admiramur: horum ambitione, Seruatoris noſtri nixi meritis exardemus: hos, vt conſequamur, quiduis perpetimur, cuilibet deſeruimus. Non quæ tu intentas, nobis horrori ſunt, ſed ignis ille ſempiternus: quo flagitioſi & impuri in perpetuum deflagrabunt. hic verò quò crudelius corpus lacerabitur, hoc ſplendidiorem coronam in alia vita adipiſcetur. Hoc reſponſo exaſperatus eſt Maximianus. Anolinus autem, vt Imperatorem, quem propè conſilij inopem et frementem ira videbat, aliqua ratione leniret, ſibi hos depopoſcit, pollicitusq. eſt ſibi curæ futurum, vt vel a Chriſto deſciſſerent, vel merito ſupplicio necarentur. ea re permiſſa Firmus & Ruſticus Veronam, quò Anolinus erat profectu rus, præmiſſi ſunt. in eo itinere inedia & contume-

melijs crudeliſsimè vexantur. Veronæ a Cancario, qui ibi præturam gerebat, cathenis iniectis in cuſtodia ſunt incluſi. ſilentio noctis, cùm cæteri ſe quieti dediſſent, tanto ſonitu ædes totæ contremuere, vt ex ſomno trepidi omnes excitarentur. Cancarius, cuius fidei ſumma rerum Veronæ credita erat, ad carcerem perterritus accurrit. ibi cum ad fores conſtitiſſet, oculo ad rimas admoto, Firmum & Ruſticum cathenis ſolutos, inſueto nitore ſplendentes, et perinde ac ſi cibo recreati refectiq. fuiſſent, lætitia ingenti perſuſos, cantu & ſermone diuinas laudes celebrare videt; carceremq. ipſum, quem obſcurum & tenebricoſum eſſe ſciebat, tum clariſsima luce colluſtratum perſpicit. cùm horror ingens ſpectantem perſtrinxiſſet, voxq. & ſpiritus torperent, paullò poſt velut alienatis ſenſibus ad terram lapſus eſt. Attollenti ſe Firmus patefactis foribus interuenit, interrogantiq. præſtigijs ne ſibi mentem abſtuliſſent, & mendacibus falſisq. viſis oculorum ſenſum fefelliſſent, an vi cæleſti, ſummiq. rectoris numine hæc facta eſſent; Firmus Chriſtianæ religionis rationem ordine expoſuit, pollicitusq. eſt, ſi ſe Chriſto dediſſet, longè

maiora inſpecturum: nec prius dicendo deſtitit, quàm Cæcarius unà cum domeſticis, ſuſcepto Baptiſmo inter Chriſtianos numeratus eſt. triduo intermiſſo Anolinus Veronam peruenit. quæ Imperatori receperat, fixa in animo hærebant. iccircò in Firmum & Ruſticum grauius vindicaturus erat, ni ſententiam mutaſſent, & quò res eſſet teſtatior ſpectaculum apparatiſſimum, cuius rei ſtudium genti inſitum eſt, magna celebritate ſe præbiturum edici iubet. Tum Proculus Veronæ Epiſcopus iiij. ob tyrannorum efferatam in Chriſtianos immanitatem urbem reliquerat, & in ædiculam quandam, quæ nõ longe aberat, ſe abdiderat, ibiq. rerum diuinarum his, qui ab Chriſto ſtabant, pabulum piè ſuggerebat. is re cognita ad Firmum Ruſticumq. ſe contulit. eos amiciſſimè complexus non ſolum ad perferendos cruciatus acerrimè copioſiſſimeq. cohortatus eſt, ſed ſe glorioſi certaminis ſocium & conſortem futurum oſtendit. erat Proculus extrema iam ſenecta, ſed exacta ætas non modò vim conſilij non eneruauerat, verùm, quas natura corpori detraxerat vires, eas animo addidiſſe videbatur. eam ob cauſſam alacritatem

ſe-

ſenilis animi vera prudentia conſilioq. fidentis Firmus et Ruſticus admirati ſunt: hocq. eis magnum ad ſuſtinenda tormenta incitamētum extitit. neq. verò fidem datam fefellit: nam & in carcere conſtanti animo ſubſtitit: & cum die conſtituta Anolini ſatellites ad educendum ex carcere Firmum & Ruſticum præſtò fuiſſent, ſe eundem exitum, quem illi tuliſſent, habiturum fortiſſimè indicauit. At Anolinus Proculum, qui effœta iam ætate deſipere ei videretur, emitti iuſſit: Firmum & Ruſticum ad Iouis & Saturni ſimulacra pertractos, magno concurſu hominum ac frequentia ea venerari, eorumq. opem implorare iuſſit. ni parerent infortunium habituros denuntiauit. tum Firmus erras, inquit, Anoline, ſi nos Chriſti cultum repudiaturos exiſtimas, qui humanam naturam induere grauatus non eſt, vt nobis diuinam præberet, & in eorum ſimulacris ſpem poſituros, qui plura ſtuprorum & ſcelerum, quàm virtutum veſtigia reliquerunt. quòd ſi in rebus ſerijs et grauibus fabulandum ſit, an oblitus es ab altero patrem Cælum exectum, et filios deuoratos eſſe, ab altero patrem regno pulſum compluribusq. virginibus

&

& matribus familias vim illatam? O præclaros deos. En vnde pietatis, charitatis, pudorisq. petantur exempla, & cùm vix imperiorum & legum ſeueritate libidines humanæ coërceri poſſint, Iupiter, Mars, Hercules non modò vitæ duces et officiorum magiſtri habebuntur, ſed deorum nomine conſecrabuntur: quorum Iupiter ſe in omnes formas conuertit, vt aut mulieribus, quas deperibat, potiretur, aut raptos Ganimedes pocula miniſtrantes haberet: Martis cum Venere concubitus quaſi cum meretricula a Vulcano ſit deprehenſus: Hercules vna nocte quinquaginta Theſtij filias conſtuprarit, duodenariumq. laborum numerum hoc tertiodecimo ferme auxerit. Quid cum pietatem erga parentes fundamentum omnium virtutum eſſe didicerimus, diuinitas ei tribuetur, qui ijs membris parentem priuarit, per quæ ipſe hanc lucem aſpexit? & cum charitas inter parentes et natos niſi deteſtabili ſcelere dirimi non poſſit, omniaq. iura diuina & humana ad ſubeundam pro liberis mortem ſi res poſtulat, hortentur: immanis eius ingluuies conſecrabitur, qui filios deuorarit? at credo in ijs ſolis rebus indomitas cupiditates ef-

fre-

frænataſq. habebant, in alijs moderati animi gloriam tulerunt. quid? nonnè Mercurium tridentem Neptuno, Marti enſem, Apollini arcum & ſagittas ſurripuiſſe memoriæ præditum eſt? non Apollinem venale oraculum habuiſſe? non Bacchum temulentum, non Martem ira furentem fuiſſe? quid tam iucundum, tam ſalutare, quàm concordia & pax? hac non ſolùm hi, quibus natura ſenſum dedit, ſed tecta etiam & agri lætantur. at veſtrorum deorum odia, diſsidia, querelæ, pugnæ, bella vbique commemorantur. quæ cùm ita ſint, quis cultus, quæ ſanctitas, quæuè religio his tribuenda eſt? præſertim cùm ex hac abſurditate nihil aliud ſequatur niſi vitæ perturbatio et animorum confuſio. Hos ego, qui quaſi noctem mortalibus offuderunt (ſiqui tamen fuerunt) nõ diuinitatẽ ullã cõſecutos puto, ſed vltricibus flãmis in perpetuũ addictos certò ſcio. at fabularum, inquies, reddenda ratio eſt, vocabulorumq., cur quidq. ita appellatum ſit, cauſſæ explicandæ: horum.n. nominibus aſtrorum naturam maximè exprimi, quorum vi cùm cælum nunc hoc, nunc illo modo temperetur, et vtcumq. temperatus ſit aer, ita naſcentiũ ingenia,

nia,mores,animus,corpus, actiones vitæ,caſus cuiuſque euentusq. fingantur, meritò diuinum illis principatum eſſe tribuendum. ò delirationem incredibilem. non vides hoc totum nugatorium eſſe, aſtrisq. rerum naturam non vim deorum ineſſe? ſalſaq. hæc eſſe perſpicuè, & inter ſe pugnantia. quin poſt deceptos primos parentes dæmon nulla fraude, qua nos aggreſſus ſit, tam gloriatur, quàm quòd deos in fœdam luxuriam & alia facinora effuſos fuiſſe perſuaſerit: vt cùm eos, qui caſti & puri eſſe debebant, ſe in hæc flagitia ingurgitauiſſe appareret, hoc propoſito exemplo, genus humanũ per ſe infirmum, & in voluptates pronum omni depoſito timore, ſe in immoderatam impudentemq. licentiam immergeret, nullusq. modus libidini & alijs peccatis ſtatueretur. confer nunc Chriſtianæ pietatis grauitatem & excellentiam cum his ſomnijs futilitatibusq., iam quantum morum ſanctitate nitatur, quantum cum naturali ratione congruat, intelligetur. nam ut omittam, quòd hæc certiſſima veritate fundata ſit, quid ſummi et perfecti boni reperiri poteſt, quod non hac contineatur? vbi ſibi quiſque lex eſt conſtitutus, cùm

qua-

quales alios erga ſe eſſe cuperet, talẽ ſe alijs præbere iubeatur. vbi non ſolùm prauitas crimini datur, ſed immoderatæ voluntati pœna tamquam actioni conſtituta eſt. vbi ſic periurij fœditas arcetur, ut omnis veritas in ſimplici affirmatione, negationeq. conſiſtere cenſeatur. vbi tantus temperantiæ honor habetur, vt non modò manus & oculos ab alienis, ſed etiam mẽtem abſtinere præceptum ſit. ubi ſic paupertas decori eſt, vt iccirco multi ampla et copioſa patrimonia obtinuiſſe velint, quò plura pauperibus erogaſſe, & res magnas contempſiſſe a Deo exiſtimentur. vbi ſic manus a cruore caſta eſt, vt etiam ira coërceatur. vbi pallium eripienti inſuper tunica adijcitur: cædenti vnam genam, altera vltro præbetur: iniurijs inſectanti benedictio impertitur. pro calumniante obſecratio adhibetur: vbi virtute non procedere, ac depoſita vetuſtate quotidie non renouari, inſtar vitij eſt. hanc ergo tam ſanctam religionẽ, tam veram tam perfectam non admirer? hanc contempta et damnata veſtrorum deorum falſitate, non amplectar? hanc vel vitæ periculo non defendendam putem? quare quis terror, quod ſupplicium, qui cruciatus

nos a cultu veri Dei, a cuius immenſa liberalitate inexplicabilem bonorum vim expectamus, auertet? tantum abeſt, vt hæc, quæ tu minitaris, pertimeſcamus, vt etiam vincula hæc, quibus conſtricti ſumus, decora & ornamenta noſtra exiſtimemus; ſqualore, quo obſiti ſumus, fœdo corporis habitu, pallore & macie, quibus nos confectos putas, vt paradiſi amœnitate delectemur: cruciatibus autem, quibus te nos necaturum denuncias, triumphalem lauream nobis parari ſentiamus. proſpectat è cælo ſummus Deus certamina ac labores noſtros. nullum paullò fortius factum illum latet. in ipſo diſcrimine opem fert: gratiæ fructus, quibus ab illo donati ſumus, tamquam hos meriti fuerimus, coronis exornat. ergo Deum tam beneficum tam liberalem deſeremus, qui etiam in os noſtrum, quid in conſpectu tuo loquamur infundit? nequaquam id expectandum eſt. Hac Firmi oratione Anolinus vehementer commotus, nugæ, inquit, veſtræ non argumentis, ſed igne confutandæ ſunt: ſtatimq. terram tribulis ferreis, & fragmentis teſtaceis candentibus ante ad id præparatis ſterni imperauit: ibiq. inſpectantibus omnibus

nudi

nudi diu volutati ſunt. at hi ad optimam & veriſsimam ſuturorum bonorum ſpem erecti, prope alienato ab ſenſu animo, eo habitu oris, dum torrerentur, fuerunt, vt lætitiæ ſpeciem præ ſe ferrent. Anolinus prope attonitus miraculo rei, minitabundus ignem hominibus circumijci, & viuos concremari iubet. tum quoque flammæ quadrifariam diuiſæ ſunt, partimq. veluti virorum ſanctitatem veritæ reſederunt, partim in obiectos ſatellites diffuſæ ſunt. hi verò incendio ſemiuſtulati ſeſe fugæ mandarunt, & illi integri inuiolatiq. ex flamma, periculoq euaſerunt. Fluctuabat animo Anolinus. Quid Imperatori pollicitus eſſet, meminerat, ne quod ad deterrendos a Christiana religione Veronenſes commentus erat, id ad credendum impelleret, verebatur. cùm ſe quò verteret, non haberet, omnia, quæ Veronenſes inſpexiſſent, magicis artibus, & præſtigijs adſcribenda eſſe dixit. & prius quàm motus aliquis oriretur, aut rerum conuerſio aliqua fieret, Firmus et Ruſticus extra vrbem ad Atheſis fluminis ripam extruſi, obtruncati ſunt quinto idus Aug. ccc. vij. eorum corpora inhumata Anolini iuſſu proiecta ſunt,

quæq. de his quæſtione habita, conſcripta erant, in ignem iniecta. Hæc autem iccirco ita geſta ſunt, vt Sanctorum virorum reliquiæ debito honore fraudarentur, & eorum memoria ex hominum mentibus tolleretur. ſed humana aſtutia diuinis conſilijs fruſtra reſiſtit. quin plerunque fit, ut quò magis ſanctorum honoribus officitur, hoc latius illorũ laudes illuſtrentur. Horum autem corporum ſanctitas contra Anolini calliditatem, atque impietatem, quam facilè ſe defenderit, hinc intelligi poteſt. Cancarius enim, quem ex cæde ſanctorum virorum magnus dolor inceſſerat, proxima nocte ex vrbe furtim egreſſus eſt, eiq. ſumma curæ erat, ne inhumata corpora & deſerta iacerent. item duo Bergomates Firmi & Ruſtici propinqui ibi occultè verſabantur: qui cùm viuis opem ferre non potuiſſent, mortuos honore ſepulturæ carere paſſuri non erant. Horum conſilijs ſeptem alij Chriſtiani anteuertere: hi enim forenſi habitu præſto fuere, & venerabundi ſublata corpora in nauem impoſuere. amnis eſt Atheſis, qui ex Tridentinis alpibus ortus, media ferme vrbe Verona decurrit, & in ſinum Adriatici maris ſeſe effundit. ſecun-

da

da huius fluminis aqua in altum delati, Appuliamq. & Calabriam præteruecti, ad Africæ oram appulerunt: Perdoneq., quod eſt Carthaginienſis agri oppidum, corpora expoſita ſunt, & humata. erat Gaudentius Terentij Iſtrij filius: is Capris, qui eſt Iſtrorum vicus, ſtirpe nobili & antiqua ortus fuerat, ſeq. ad mercaturam, quam magnam & copioſam pater faciebat, applicauerat, et unà cum parente negociandi cauſſa in Africam commeabat. Omnibus rebus ab voluntatem fluentibus illa cauſa ſuberat, ne Terentius ſincero gaudio frueretur; quòd Gaudentius a ſpiritu immundo agitabatur. Pater cum filij calamitate angeretur, neque omnibus remedijs terra mariq. conquiſitis ei mederi poſſet, cum Afris domeſticam ærumnam dolentius miſerabatur. Afris ferè omnibus miraculorum crebritate ſanctorum corporum virtus cognita erat: itaq. ab ijs Terentius monitus eſt, vt filium ad Firmi & Ruſtici ſepulcrum admoueret. quo facto Terentius proiectus ante ſepulchrum, vt opem diui ferrent, ſalutemq. filio impetrarent, ſupplex orauit. eo liberato ipſe ſe cũ filio in Chriſtianorũ numerum referri voluit.

per-

permagni verò momenti ad patriæ religionem & decus futurum ratus, ſi tam memorando inuento patria ornaretur, ſoluturus ex illis oris, corpora ad ſe in nauem religioſe ſuſtulit, & Capras aduexit. longo poſt tempore annus diuturna ſiccitate inſignis ſecutus eſt. hac cum Veronenſes vehementer laborarent, neque ſolùm cæleſtes aquæ deeſſent, ſed perennes amnes prope exaruiſſent, ſi qua erat ſoli vbertas, repreſſa eſt, ortaq. peſtilentia & in vrbe, & in agris vaſtitatem fecit. grauiſſimo hoc tempore Mariæ cuidam Veronenſi, quam conſolatricem ab re appellarunt, Spiritusſancti oraculo reſponſum editum eſt, fore, vt ijs malis Veronenſes leuarentur, ſi Firmi et Ruſtici corpora Veronam reportata eſſent. vetus & vſitata res eſt, vt muliebris ſexus præcipuo & diuino aliquo honore honeſtetur: mulieres enim Chriſtum pepererunt. illæ primum Apoſtolis Chriſtum reuixiſſe nunciarunt. huius item voce Veronenſes de auertendæ peſtilentiæ ratione præmoniti ſunt. Ea re cognita Veronenſes impenſo auro, impetrarunt, vt corpora, quæ aliàs Chriſtum ſpernentibus erepta fuerant, ea ſequentibus reſtituerentur. acceptis in

vr-

vrbem corporibus, ſiccitatis & morbi vis Dei beneficio leuata eſt. Tachipaldo deinde Epiſcopo Eccleſiam Bergomatem adminiſtrante, anno a partu Virginis Dccc. lv. ea corpora vnà cum Proculi capite & oßibus Verona ſurrepta ſunt, & Bergomum translata. quæ primo in ſilueſtri ac deſerto loco apud fluuiũ Cardonem collocata ignorabantur. anno deinde trecenteſimo & altero, quam in agrum Bergomatem peruenerunt, mulier Saluatica nomine a dæmone obſeſſa, fortuitò in eorum tumulo conſedit. qua mirabiliter liberata, corpora inuenta ſunt, Gerardiq. Epiſcopi Bergomatis opera templo extructo et eis dicato, ibi honorificè repoſita ſunt; & in ſepulcro hæ inciſæ litteræ. Hic iacent ſanctorum corpora Firmi & Ruſtici ciuium Bergomatum, qui decollati fuerunt Veronæ ſuper fluminis Atheſis ripam ſub Maximiano Imperatore, eiusq. conſiliario Anolino. tunc erat Proculus Epiſcopus, qui & ipſe ſanctus vnà cum eis in eadem arca iußit in extremis procudi. Templo Virgines Moniales præfectæ ſunt. Hæc corpora quod plurimis, periculoſißimis ac difficillimis in rebus opem tuliſſe, aliaq. edidiſſe

mi-

miracula compertum eſt, ab omnibus circa populis religioſiſſimè coluntur. In eo noſtri & Veronenſium auctores plurimum inter ſe diſcrepant, Maximino ne an Maximiano Herculeo Imperatore Firmus & Ruſticus paſſi ſint. Veronenſes eos Imperatore Maximino non Maximiano anno cc. xxxvi. damnatos eſſe referunt: ex multis eorum annalibus id patere contendunt. addunt Zenonem, qui octauus Veronæ Epiſcopus numeretur, Gallieno Imperatore anno cc. lxx. deceſſiſſe: inter omnes autem conuenire tradunt Proculum, qui quartus Epiſcopatum Veronæ obtinuit, Firmum & Ruſticum in vincula coniectos inuiſiſſe, et charitatis fœdere ſe cum his coniunxiſſe. Quæ cum ita ſint fieri non poſſe, vt Proculus Imperatore Maximiano viueret, & anno ccc. vi. Epiſcopatum adminiſtraret, cùm Proculum multis annis ante non poſt Zenonem fuiſſe oporteat, vitiatamq. memoriam, vt pro Maximino Maximianus diceretur, obtinuiſſe. Noſtri ſcriptores Maximiano & Diocletiano Imperatoribus, eos martyrij palmam adeptos eſſe auctores ſunt, antiquisq. monumentis et teſtimonio inciſarum in ſepulchro lite-

era-

terarum nituntur. ad has rationes illud accedit, quòd Anolinus, quem miniſtrum cædis ſanctorũ virorum vtrique tradunt, non Maximini, ſed Maximiani temporibus fuit. Diocletiano enim & Maximiano Chriſtianum nomen atrociſsimè inſectantibus, Anolini iuſſu Criſpinam ſecuri percuſſam, & in Africa Saturninum presbyterũ Datiuum, Felicem, Apuleium ſocios, eodem impe rij adminiſtro necatos eſſe conſtat, quòd cultum falſis dijs tribuere conſtanter recuſarent. Ego etſi in tanta rerum obſcuritate nihil affirmare auſim: tamen quòd noſtri ſcriptores à ueritate abhorrere minimè videbantur, vt eos ſequerer, inclinauit animus. Id quoque ambigitur Bergomi ne an Ve ronæ corpora ſita ſint. Vt cætera monumenta, quibus ſtandum putamus, omittantur, Aloyſius Lipamanus quondã Veronæ Epiſcopus, diligentiſsimus antiquitatis inueſtigator, literis Bergomũ ſcriptis, corpora apud nos eſſe teſtátus eſt. Etſi quid mihi probetur, ſatis conſtat, tamen ſententia Auguſtini Valerij Cardinalis ampliſs. quæ ad eximen dos ſcrupulos plurimùm valere debet, minimè prætereunda eſt. eius viri tanta eſt grauitas, ut altiſsi-

mum honoris gradum eximia vis ingenij, & ſingulari doctrina; ingenium doctrinamq. clariſsima vita & morum ſanctitas ſuperare exiſtimetur. is ad explanandas res obſcuras et ambiguas, conciliandosq. & coniungendos diſsidentium animos diuino quodam conſilio natus, in huiuſmodi haſitationibus opinionum diuerſitati optimè conſulit. nam cùm alij alicuius ſancti viri reliquias ſe habere contẽdant, alij easdem ſibi vindicent, quod decuit ſapientiſsimum virum, ſe medium geſsit, docuitq., etſi apud alios bona pars reliquiarum alicuius ſancti uiri collocata ſit, pars reliqua ad alios aſportata, tamen fieri potuiſſe, vt vtriq. abundantia quadam pietatis adducti ſe integras reliquias habere pra ſe tulerint: huicq. eorum uehementiori ſtudio ignoſcendum eſſe, praſertim cũ id ex bonis cauſsis natum, et probabilibus rationibus profectũ eſſe conſtet. quare quòd fortaſſe accidit, vt harum reliquiarũ, de quibus nunc agimus pars aliqua Verona relicta ſit, idq. Veronenſes in eam partẽ interpretẽtur, vt integras ſe habere arbitrẽtur: tanti viri iudicium adſcribẽdum fuit: cuius tantum eſt pondus orationis, vt ſingulas eius ſententias, ſingula teſtimonia exiſtimem.

SANCTI PROIECTITII MARTYRIS VITA.

CVM auguſtiſſimum magnificentiſſimumq. Solomonis Templũ mirificis operibus extruebatur; 3.Reg. c.5.&6 non ſolùm ſaxa & materies in montibus cæſa eſt, ſed arte fabrili ita circumciſa omnia feruntur, quæ amputanda erant, ita ad perpendiculum & regulam expolita, vt nullus eſſet ſecuris & mallei vſus, nullus ferramẽtorum ſonitus exaudiretur, aptiſſimeq. ijs locis, ad quæ ſtructa erant, quadrarent, & coagmentarentur. Terreſtris huius templi amplitudo, quo nullum in orbe terrarum magnificentius fuiſſe traditur, cæleſtis templi maieſtatem præmonſtrauit: quod mundi initio inchoatum non marmoris, aut prætioſæ materiæ copia, ſed è viuis & electis lapidibus, quibus ſancti viri deſignantur, perficiendum erat. hi verò prius quàm in tanti ædificij parietibus collocarentur, ſingulari opere & ſummo artificio elaborandi erant. quod tum

præclarè accidit, cùm a tyrannis in cæde ſanctorũ bacchantibus, Chriſtianæ fidei inſimulati, ſæuiſſimeq. cæſi, & atrociſſimis iniurijs iactati ſunt. quæ
2. ad Corin. c. 4. *quidem, vt Pauli verbis vtar, ſupra modum in ſublimititate æternum gloriæ pondus operantur. iccirco verò malleum & ſecurim, quibus animarum pœnæ ſignificari poſſunt, nulli vſui fuiſſe proditum eſt, quòd cum hinc exceſſerunt, nihil illis aptius, nihil cæleſti fabricæ accommodatius videretur. tanta autem ſanctorum virorum virtus & ea præſentia animi fuit, vt tum cum maximè agitabantur, non ſe iniurijs onerari, ſed nobilitari, non diſcerpi, ſed poliri, non verberari, ſed elegantiſſimè ornari arbitrarentur. Ex ſumma copia eorum, qui hoc animo præditi fuere, Proiectitius martyr commemorandus eſt. is.n. cùm de hac vrbe optimè meritus eſt, tum eorum temporum procellas ſic ſuſtinuit, vt ardore quodam pietatis eximio clarus, vexationibus, quibus petebatur, ad æternæ fabricæ conſtructionem vſus ſit. Faxit Deus, vt aliqua ex parte ſanctiſſimos eius mores imitatione aſſequamur, diuinæq. ædificationi vſui eſſe poſſimus. præſtat enim in cæleſtibus ſedibus vel*

poſtremum locum tenere, quàm in ædibus malorum dominari. ſed quod ingreſſi ſumus, eius res geſtas perſequamur.

Proiectitius Bergomas apprimè nobilis, egregia quadam & præclara ingenij animiq. indole fuit. quare exquiſitis præceptoribus adhibitis, cum cæteris artibus, quæ libero digna ſunt, exornatus eſt, tum maximè dicendi gloria præſtitit. Ex Euangelij fonte, ad cuius ſtudia ſe contulerat, quodq. nunquam ponebat de manibus, hanc copiam creditur hauſiſſe. idq. hoc magis, quod ſacrarum litterarum præſidio, religionis errore labentes iam inde a puero ad veritatis lumen reuocabat; prauisq. opinionibus extruſis, rectas inſerebat. Hac pietatis & ingenij laude, priuatisq. officijs cùm apud æquales floreret, ad Gratam quoque, cuius fidei reip. Bergomatis gubernacula credita erant, eius rei fama perlata eſt. Hanc notitiam Proiectitius piè & religioſè obeundo munia Chriſtiana in familiaris conſuetudinis iura adduxit. Grata omnia ad fidei incrementum, æternamq. hominũ vtilitatem referebat: & ne Imperatorum odio res Chriſtiana nondum adulta opprimeretur, vehemen-

menter extimeſcebat, omniaq. quibus huic rationi conſuleretur, circumſpectabat. ea efferentem ſe ingenij fœcunditatem et religionis ſpeciem in adoleſcente admirata, hunc aliquando columen rebus dubijs, & præſidium religioni afflictæ fore diuinabat: & quod mens præſagiebat, ſubijciebat ratio haud fallax. iccircò ſuccreſcentem eius induſtriã, tanquam materiem ingentis priuatim publiceq. decoris fouebat. ſacerdotes alijq. miniſtri, qui ritè ſacra procurarent, templo S. Alexandri lecti fuerant, Grataq. rogatu a Materno Mediolani Antiſtite ingenti ſanctitate prædito, ſacris ordinum myſterijs initiati, et ſacerdotalibus inſignibus decorati. in his Proiectitius Diaconus factus eſt. tum verò qui raræ inter homines virtutis ſpecimen dederat, maturis iam rationis viribus adeò vberem pietatis frugem ferre cœpit, vt nemo in tota Eccleſia Bergomati haberetur prior et probatior primoribus pariter & plebi. ab eo in primis habita cura, vt victus neceſſarius egentibus ſuppeteret; & ſtatis temporibus ad ſacrificium Miſſæ et conciones quam maxima multitudo conueniret. inueſtigatum etiam, & ad Gratam ſacerdotesq.

delatum, qui nam piè & Chriſtianè, & qui ſecus vitam ageret. quod quidem iccirco fiebat, vt noxios & priuatim hortari monereq. et palàm caſtigare et obiurgare, ſi opus eſſet, poſſent. Sacerdotibus præterea ſacra facientibus ab eo ſtudiosè opera data eſt; adeoq præclarè ſe in eo munere geſſit, vt non multò poſt et ſi inuitus et repugnans, ſumma omnium voluntate Archidiaconus ſit factus. Hic honor in Eccleſia latius patuit, & clarior, ſanctiorq. habitus eſt, oculusq. Epiſcopi haud immeritò appellatus. nam vt oculus in corpore tamquam in ſpecula poſitus, altiſſimum locum obtinet: ex quo acrem in omnes partes aciem intendat, ne quid corpori nouum aut inopinatum accidere poſſit: ita præcipuum Archidiaconi munus fuit, excubare, ne quis ritus, niſi ex antiqua ſanctiſſimorum patrum diſciplina in Eccleſiam induceretur; parteſq. Epiſcopi, cum is aberat, aut negocijs diſtineretur, ſuſtinuit. nunc culpa temporū factum eſt, vt Archidiaconatus nomen tantum obtineat: vis & poteſtas, cui multarum rerum arbitrium ſubijcebatur, ſenſim imminuta, poſtremo tota fermè amiſſa ſit. Proiectitius, quid oneris

riſ in præſentia tolleret: quantum item negocij in omnem vitam ſuſciperet, intelligebat: propterea quòd penuria Epiſcopi ſe moderandis cupiditatibus, & tuendæ religioni præponi videbat: cognoſcebatq. fore, vt omnium oculi in ſe conijcerentur, et quid ageret, quemadmodum uiueret, ſpectaretur, neq. ullum eius dictum aut factum obſcurum eſſe poſſet. quare etſi ineunte adoleſcentia innocentiæ, continentiæ, virtutumq. omnium ſibi legem indixerat, tamen hoc tanto onere impoſito, neceſſaria quadam ratione ſibi rectè, honeſtè, ac piè viuendum intellexit: neque id iniuria: tum.n. auctoritas et pondus in eorum verbis eſt, qui alios obedientes habere ſtudent, cùm quod inferioribus præcipere volunt, id prius ſibi iniungunt. neque.n. temerè & inconſultè antiquitus ſancitum eſt, vt a ſacerdotum veſtibus tintinnabula penderent. nam cum veſtium vocabulo ſacerdotum opera, tintinnabulorum ſono docendi & inſtituendi ratio ſignificetur, hoc in eam partem acceptum eſt, vt vim omnem & facultatem perſuadendi, honeſtis dicentium factis et rectis ſtudiis cõtineri, idq. totius diſciplinæ firmamentum ac robur eſſe, haud

dubium

dubium ſit. non latebant hæc Proiectitium. quare Archidiaconatu inito, omnia poſteriora officijs pietatis duxit; nullaq. occaſio prætermiſſa eſt, qua ſuis documento et auxilio eſſe poſſet, in qua ille nõ ita deſudarit, & aduigilarit, vt nemo illa ætate fide, religione officio diligentior, aut ſanctior, nemo conſilio & auctoritate præſtantior haberetur. his artibus ſibi viam ad explicandum cum grauitate Euangelium muniuit: & vt facilius ex ſuperiori loco audiretur, ſuggeſtum lapideum in D. Alexandri templo extruendum curauit. inde pro temporũ & hominum conditione concionari, & ex vberrimis ſacrarum literarum fontibus nunc in ſpem, et deſiderium cæleſtium bonorũ adducere: nunc quæ ad coercendos improbos, & voluptatibus procliues efficaciſſima ſunt, dicendo ſubijcere, inferorumq. metum inijcere, & acerbiſſimas æternasq. pœnas ob animorum oculos ponere: nunc languentes & afflictos excitare, frangere cupiditates; virgines ad caſtitatem, noxios ad pœnitentiam, omnes ad pietatem ardẽtius cohortari: ex mentibus eorum, qui priſtinum ſtatum & cultum idolorum requirebant, caliginem diſcutere. denique ſæpe

iterando eadem perpulit Bergomates, ut quod Lupi et Gratæ ductu erat iam inſtitutum, in Deo omnes ſuas ſpes opesq. collocarent: neque ullam curã antiquiorem haberent, quàm, ut tradita diſciplina in omnium animis coaleſceret. ad eam rem conficiendam optima ratio a Proiectitio inita eſt. Ex ijs, qui in rerum cæleſtium contemplatione accuratius verſabantur, atque in diuinarum literarum ſcientia virtutibusq. longius progreſſi erant, collegium conſtituit, quòd ex quadraginta viris conſtabat, Cononicosq. appellauit. hi quò ſe facilius caſtos, integrosq. ſeruarent, & rei diuinæ die ac nocte accuratius inſeruirent, celebritates & hominũ frequentiam vitare iuſsi ſunt. id ut commodius fieret, communis domus exædificata eſt, victusq. communis ex prædijs templo attributis ſuppeditatus. non tamen ita ſolitudinem ſequebantur, quin qua in re liceret, aliorum ſaluti conſulerent, viciſſimq. aliorum auxilium ad ſuos uſus adiungerẽt. omnis Chriſtianæ vitæ virtus in duas partes diuiditur: quarum altera in actione, altera in contemplatione poſita eſt. Hæ vitæ rationes, & antea fœcunditate Liæ, & eximia Rachelis pulchritudine

deſi-

deſignatæ ſunt, & poſtea Marthæ ſedulitate, & Mariæ pio ſtudio planius expreſſæ, tum cum pro ſe quæq. earum id ſedulo faciebat, ut Dominum præſentem omnibus hoſpitalibus honoribus coleret: verùm ut Marthæ animus ad inſtruendum Domino conuiuium intentus erat, ita Mariæ mens, cæteris rebus poſthabitis, diuini verbi iucunditate fruebatur. ex his virtutibus quantò altera ſublimior & penetratu difficilior, tantò altera vtilior & magis neceſſaria. etſi ſuum cuiuſque eſt munus proprium: tamen vtraque mutuis officijs eſt grauior, & in ſua ratione ſtabilior, alteraq. virtus ad alteram via eſt. harum ſocietas ſi quos inter reperitur; horum habēdus eſt ad ſummum huius & futuræ vitæ bonum, optimus & iucundiſsimus ſtatus. cùm Proiectitius Eccleſiæ Bergomati maximè profuturus eſſet, ita huius ſocietatis ratio ab eo digeſta eſt, ut populus Bergomas Canoniciq. ſeruato rerum diuinarū humanarumq. diſcrimine, curam de communi utilitate inter ſe coniungerent, & vt ille in actionibus ſe iuſtum, integrum & religioſum præbebat, & in Canonicos, reliquosq. officioſus ac liberalis erat: ſic hi docendo, conſulendo,

precando, et res cæleſtes perſpiciendo contemplantis vitæ partes tuerentur. hac ratione creſcente ciuitatis pietate et religione, omniumq. animis ad Dei cultum conuerſis, repentinus pauor Bergomates inceßit. Diocletiano et Maximiano Imperatoribus nomen Chriſtianum non ſolùm ſuſpectum et inuiſum, ſed etiam formidoloſum ſemper fuerat. Religionis.n.mutationem magnum ad nouandas res momentum habere intelligebant. itaq. fidei Chriſtianæ inductione id agi putabant, non ſolùm vt ſublata religione veteri, Chriſtiana religio per omnium gentium animos peruaderet, ſed etiã vt in aleam magni caſus ipſi imperiaq. darentur: nec aliter gentes in fide manſuras exiſtimabãt, niſi fractis Chriſtianorum animis veteris religionis auctoritas aleretur, confirmareturq. ob eam cauſsã crudeliſsimè in eos, qui Chriſtianam religionem fouiſſe dicebantur, animaduertebant. cognitiones eorum ab ipſis Imperatoribus exercebantur: alij ſuper alios trucidabantur: cõplures in exſiliũ pulſi, amißis bonis ſylueſtres, et abditas ſolitudines petebãt. Hæc etſi horrori erant omnibus: tamen Grată et Proiectitij cohortationes ſic Bergomatum animos

mos ad ſpem regni cæleſtis erexerant, vt ſupplicio-rum metu a pijs exercitationibus minimè tardarentur. Hanc ſæuitiam vbi parum valere intelle-ctum eſt, dimiſsis per vrbem præconibus Maximiani nomine pronunciatur, edictaq. omnibus vicis proponuntur, vt omnes fidelium libri conquirantur, concrementurq. honores, quos quis eorum in Eccleſia aut reipub. adminiſtratione adeptus ſit, abrogentur, isq. in ordinem cogatur: neu quis ſe ſacris Chriſtianis immiſceat, aut ſacrorũ cauſa, conuenire velit. qui his non abſtinuerit, ſi ſeruus ſit, facultatem vindicandi ſe in libertatem amittat; ſi liber, vinciatur, & niſi pœnituerit, capite plectatur. ne quis recipiat celet, ope'ue vlla iuuet fugientes. Hac fama vulgata per vrbem, & abditas malorum voluntates aperuit. & certas ſtabilesq. fidelium ſententias indicauit. non ſolum.n. qui partis infidelium erant, ſed pleriq. ingentibus Proiectitij obligati beneficijs læti hanc famam accepere, non ob aliam cauſſam, quàm prauo ſtudio, quo libertatem ſalubri moderationi datam ad peſtilentem licentiam trahebant, nullamq. vitam eſſe putabant, demptis corporis voluptatibus. fide-

les

les contra tantus terror, pauorq., deinde triſtitia cepit, vt non grauius accepturi fuerint, ſi mortem oppetendam eſſe nunciaretur. Huc omnia recidiſſe querebantur, vt qui modò ſublatis idolis, vrbē florentem religione vidiſſent; nunc mutatis rebus, perpetuum hoſtem regnaturū viſuri fuerint: & qui prius in Chriſtianæ religionis ſtudijs conquieſſent; nunc tyrannorū crudelitati obijciendi eſſent. vt in hac ruina perſectorum Chriſtianorum integra immobiliſq. virtus ſtaret, atrocitaſq. ijs gloriam & decus pareret: infirmiorum quidem, qui ad omnem ventum ſpei & terroris conuerterentur, iacturam eſſe pertimeſcendam. qui ſi non voluntate, vi facilè impiorum minis ceſſuri eſſent. proponere deinde ſibi ante oculos deformata & nudata templa & futura ludibria ſatellitum Imperatoris, et vultus ſuperbos, contumelioſaq. uerba, et diſcerptiones conſtantium Chriſtianorum. Has miſerias primis nuncijs cæteri, cibi et quietis immemores grauius deplorabant, mœſtiq. veſtibulo Proiectitii ædium obuerſabantur. ille non modò conſtanter impauidus manebat, ſed concionabundus vicos vrbis circumibat: & quibuſcunque poterat,

terat, incitamentis ad perſiſtendum in fide, omniũ animos accendebat. nunc fraudem dæmonis incuſabat: nunc præmiorum eorum admonebat, quibus ne ampliora quidem optari poſſent: meminiſſent, quid ſuſcepißent, cùm in Eccleſiæ ſinum & complexum confugiſſent: neque tam curæ eſſet, vt corpora ſua declinatione periculi, quàm vt animas conſtantia conſilij protegerent. nec humanas ſolùm agitarent curas; verum identidem hoc animo reputarent, ſummum Deum eorum intueri mentes. non qualis eorum virtus eſſet, talem mercedem laborum, periculorumq. fore, ſed longè maiorem amplioremq́; ipſe quem alii interitum putant, eum ærumnarum finem, & iucundioris vitæ initium ratus pro fide Chriſti ferri crudelitatem ſubiturus erat, & quod prædicatione docuerat, exemplo firmaturus: ſed quorundam piorum precibus fatigatus ſententiam mutare coactus eſt. hi enim eius charitati ſuam ſuorumq. ſalutem commendare. docere eum præcipue tanquam fidei propugnatorem, patronum publici conſilii, et libertatis Eccleſiaſticæ vindicem peti, monereq. in eo omne ſubſidium poſitum eſſe: eum ſe ſeruando,

pa-

patriam ſeruaturum; dedendo ad necem factu-rum, vt nemo vnquam contra hoſtes Chriſtiani nominis oculos attollere, aut hiſcere auderet. nec prius deſtiterunt, quàm peruicere, vt ſpe futuræ aliquando tranquillitatis præſentes fluctus declinaret, ſeq. nefariorum miniſtrorum oculis vſque eò ſubtraheret, quoad hic temporum ardor deferbuiſſet: præſertim cum eo præſente tyrannorum crudelitas longius progreſſura videretur. Digrediente, qui ſplendorem omnem Eccleſiæ Bergomatis ſecum ferebat, cùm ipſa res ſpeciesq. miſerabilis erat, tum Canonici cæteriq. ſacerdotes a lacrymis temperare non poterant. Proiectitius eos complexus oſculatusq. lacrymas mittere, lamentisq. parcere, & quæ ad præſentem rerum ſtatum opus eſſent, conſulere iubebat. neque. n. nunc primum, inquit, Eccleſia ſæua tempeſtate & fluctibus iactatur. cùm duo primi fratres in lucem editi ſunt, hæc peſtis in mũdum importata eſt: omnibus deinceps ætatibus non modò in eos, qui cari acceptiq. ſummo Deo erant, ſuperbè crudeliterq. conſultum eſt, ſed Seruator ipſe in crucem actus, & inhumana crudelitate laceratus. nunquam deinde a nouæ cla

dis

dis alicuius ſpectaculo ceſſatum. Quòd ſi caput & dux ipſe noſter Chriſtus, qui cæleſtibus ſuis vulneribus iter ad cælum nobis aperuit, hanc viam ingreſſus eſt, ſi proceres illi Apoſtoli, ſi infinitus martyrum numerus; ijq. ſic animati fuerunt, vt & omnia pietatis officia diligenter ſanctéq. obirent, & ſimilibus obruti malis nihil flecterent animos, quin, vel acerbiſſima morte propoſita, pietatē Chriſtianam virtute defenderent: hem nos homunculi, qui nihil adhuc meriti ſumus laborando, quamobrem fideles agnoſceremur, neque in cæleſtis gloriæ ſtudijs perinde ac debuimus, verſati ſumus, hoſtiles ictus reformidabimus, & oblata opportunitate abolēdi peccatorum ſordes, mœrebimus? qui etiam impoſita pugnandi neceſſitate potius gaudere debemus, vt quantum mortales Deum poſſumus, Chriſtum eius veſtigijs ſequamur. illis ignauis ac timidis eſſe licet, qui ijſdem finibus, quibus hoc vitæ ſpacium circumſcriptum eſt, cogitationes terminarunt ſuas: ſempiternam vero gloriam ſpectantibus, mihi credite, nihil aſperum aut intolerandum videri debet: quippe qui pro exiguis, et ad breue tempus duraturis doloribus æter

nitatem immortalitatemq. conſequamur. Mihi quidem præſagit animus fore, vt ſoſpes vobis reſtituar: ſed ſi quid de me factum erit, quid tandē angimini? non.n.deerunt, qui hanc Eccleſiam fortiſſimè ſanctiſſimeq. regant. Moyſem interijſſe legimus; Samuelē, itidem et Hieremiam ad exitū vitæ uocatos eſſe; ſublimem raptum Eliam; Petro & Paulo vitam ereptam; alios plurimos grauiſſimos ſanctiſſimosq. viros occubuiſſe accepimus: num Eccleſiæ ſplendor deletus eſt? nonne in eorum locum Ioſues, Dauides, Baruchi, Heliſæi, Timothei, Lini, Anacleti, alijq. complures præſtantiſſimi et diuini viri ſuffecti ſunt? quin quò maior crudelitas in ſanctos viros adhibita eſt; quò maior cædes facta; eò maiorem frequentioremq. numerum aliorum conſimilium ſuboleſcētem vidimus, omniaq. ſtrata humi erexit, & excitauit Deus. de Dei auxilio nihil deſperandum eſt; ſed vna via ſalutis exiſtimanda, ſi armis virtutum tecti acriter hoſti reſiſtamus. itaq. ad pugnam accingimini. quemadmodum non in ocio & tranquilla pace militis vires & animi præſentia cernitur, ſed tum cùm ipſum in diſcrimen certaminis vocatur, hoſtisq.

ſtisq.

ſtisq. incitatus omnibus viribus vrget, & atrox dimicatio orta eſt: ſic tunc verus & cõſtans Chriſti miles ab imbelli & ſimulato ſecernitur, cùm res arduæ ac difficiles ſubeundæ ſunt, flagraq. vincula, cruces, ignes, ſecuresq. intentantur. obiectanti.n. ſe impietatis telis militi & magna conanti, multaq. pro fide Chriſti perpetienti emerita ſtipendia debentur. atque vt paruus ignis ventorum flatibus interdum ſic diffunditur, vt magnum exſuſcitet incendium: ſic ſopita viri Chriſtiani virtus rebus aduerſis agitata, ingentis charitatis ac diuinarum virtutum flammas excitauit. Ego quidem præſens præſentibus periculis obuiam ire maluerim. verùm, quòd tempori cedendo me melius rebus veſtris conſulturum exiſtimaſtis, obſequar ſtudijs veſtris. idq. magis mea erga vos charitate adductus faciam, quàm quòd mihi a vobis diſtractio huius cæli ſpiritus iucundus futurus ſit. quanquam hoc diſsidium mutui amoris noſtri haud diu ſum laturus: neque.n. quæ in Dei Eccleſiam nefariè committentur, mihi leuiora erunt, cùm ea audiam, quàm cùm videbo. Interea vos ad præmia cæleſtia dignos parate animos, charitatisq. opera

præſtate : charitas ad patientiam, ad animi magnitudinem, ad pietatem erudiet: hæc ſententias veſtras cùm ſpe tum metu moderabitur: hæc ab animo tanquam ab oculis caliginem diſcutiet, vt vna mente, vno conſilio omnia Dei honore & communi vtilitate expendatis. hæc inanes timores detrahet : hæc ſecundis rebus temperabit; aduerſas leuiores faciet : hæc vos arctiſsimis mutua beneuolentiæ & officiorum vinculis adeò coniunget, vt facilè intelligatis, omnium amicitiarum nullam eſſe iucundiorem, nullam vberiorem, quàm quæ cum Eccleſia eſt vnicuique noſtrum. Hac habita oratione urbe ceſsit, ſibiq. cõſciuit exſilium. in montana ac ſilueſtria loca ſe abdidiſſe fertur. Interea in vrbe nihil, quod ad Eccleſiaſticam dignitatem pertineret, inuiolatum relictum. Altarium ſtrages factæ: templorum ornamenta direpta; templa ipſa humano ſanguine fœdata: qui principes religionem Chriſtianam tutabantur, virgis cæſi, aut ſecuri percuſsi, aut in exſilium pulſi. Hoc pacto re Chriſtiana odio hoſtili diſtracta & diſsipata, hi quorum animi nondum ab idololatria reſederant, tacito gaudio efferebantur, priſtinumq. idolorum

cul-

cultum repetebant: nonnulli aut mutabilem gerentes ſidem, aut vt fit in calamitate, ex amicis inimici facti, ad impios præſides tranſibant. reliqui qui Chriſtianæ pietati ſtudebant, aut domi pauidi & conſternati ſummo in mœrore verſabantur, aut in altiores diruptioresq. montes conceſſere, & vbi aut abdita vallis aut locus ſilueſtris ſpem ſalutis aliquam offerebat conſedere. Inter aſsiduos fidelium pauores et lacrymas vnũ quantumcunque ex inſperato gaudium affulſit. anno a Chriſto nato ccc.vij. Diocletianus & Maximianus ſenecta iam inualidi hic Mediolani, ille Nicomediæ depoſito imperio, procul a rerum procuratione & publicis negocijs vitam agere ſtatuerunt. nonnulli eam ob cauſſam eos id feciſſe tradunt, quòd negociorum ſacietas eos cepiſſet. complures inuenio, qui pro certo ponunt, eos cùm ſenſiſſent cum refrigeſcẽtibus corporum viribus mentem quoque hebeſcere & labare perſonam Imperatorum depoſuiſſe. ſi alios ſequamur, eos dicemus a cæteris voluptatibus deſertos, & ſero inaniq. ſtudio captos, relicta gubernandi ratione, ſe ad rerũ cognitionem conferre voluiſſe: ſpectaſſeq. vt cùm

con-

conſtantem ætatem rerum geſtarum magnitudine, imperando nobilitaſſent, quod vitæ reliquum erat, philoſophando illuſtrarent. Potior mihi auctor Nicephorus eſt, qui affirmat eos conſcientia ſcelerũ, quæ in Deum, hominesq. neſariè impieq. commiſerant, exagitatos, & a ſanitate deturbatos, ad hæc conſilia animos inclinaſſe. In eorum locum Conſtantius, & Galerius eorũ generi ſubrogati ſunt. hac re nunciata, cùm Eccleſia commodiorem in ſtatum perueniſſet, Chriſtianisq. quies data videretur, Proiectitius in vrbem reuerſus eſt, & a gratulantibus Bergomatibus exceptus eò maiori cum gaudio, quò propius periculum res fuerat. is ſuſcepto denuò paſtorali munere, quæ violata erant expiare cœpit, templorum ruinas ſarcire, fuga diſperſos Canonicos conquirere, contrahereq. ſalutarem Euchariſtiæ exercitationem, & ſtatas preces, quæ res intermiſſa erat, reſtituere: qui de ſpacio curriculoq. religionis timore aliquo deflexerant, reuocare: dubitantes confirmare, afflictos conſolari; fortes et inuictos collaudare. Continẽti eius labore Eccleſia, quæ tantis malis oppreſſa fuerat, Bergomi extollere caput, & ex pauore quo

atto-

attonita fuerat ſe recipere uidebatur, cũ noua tem peſtas coorta eſt. Conſtantius mitis quidem erat ingenij, iuſtusq. & pius poſtea habitus eſt. verùm ita natura comparatum eſt, ut mortalium liberum prorſus dicamus eſſe neminem. nam etſi ad ſummum honorem quis elatus eſt: tamen dum aut imperanti paret dedecori turpitudiniq. aut metu aduerſarij tenetur, aut pecuniæ ſeruit, in ceruicem iugum accepiſſe dicendus eſt: aut dum multitudinis aut principum gratiam aucupatur, miſera & dura premitur ſeruitute. id ita eſſe Conſtantius triſte ad recordationẽ exemplũ documento eſt. is.n. quòd per Maximianũ ſummam Imperij dignitatem ſe adeptum meminerat, & in maximi beneficij memoria ſe gratum præſtare ſtudebat, eius arbitrio imperium gerere cœpit: & non modò Maximiani decretis aduerſari auſus non eſt, ſed ipſe ſtatim in crudelitatem delabitur, eademq. edicta, quæ a Maximiano promulgata fuerant cõtra Chriſtianos cum cæteris in locis, quæ ei obtigerant, tum Bergomi proponi iubet. miniſtri eruditi artificio aſſentationis commune ſectantium regias malum, & opes gloriamq. aucupantium, omnes ſuas cogita-
tio-

tiones ad Conſtantij ſenſum et voluntatem accom darunt, efferatiq. immanitate fermè atrocius, quã imperatum erat, egerunt. tum fœda in vrbe trucidatio verſata eſt: non ſenibus, non mulieribus, non pueris pepercerunt. tandemq. in S. Alexandri templum, vbi Proiectitius ex ſuperiori loco Chriſtianorum cœtum præceptis Euangelicis inſtituebat, impetum fecerunt. ibi feroces & animis tyrãnicis inflati, ſummotis auditoribus, Proiectitium minaciter appellant. tu, inquiunt, ille es Proiectitius ſeditioſus et turbulentus, qui peßimis artibus, & regia licentia animos Bergomatum a cultu deorum auertis, & ſuperſtitiones ſerendo, otium ciuitatis turbas, materiamq. quærentibus rerum nouarum occaſionẽ ſuggeris? quamdiũ hæc nos laturos putas? non te cruentæ aliorum tui ſimilium ſanguine ſecures terrent? tutißimum adhuc a malis conſilijs receptum habuiſti, errorique tuo ignotum eßet, ſi ſententiam mutauiſſes. nunc quod multis parcendo alios plurimos ad talia audenda incitamus, non erit lenitati aut clementiæ vlli locus. fuſtibus, igne, ferro pertinacia tua frangenda eſt. neque plures dies huic cognitioni proferen-

rentur, niſi in præſentia dijs patrijs ſacrificaueris, illico extrema experiere. Non modo non terruerunt Proiectitium hæc minæ, ſed ad ſuſtinendos fortius humanos caſus accenderunt: tantumq. abfuit vt ex cœpta orationis contentione quicquam remitteret, vt etiam in dæmonem idolorum auctorem, & in miniſtros Imperatoris acerbius inueheretur. Non ſe pacis & otij hoſtem, rempub. Bergomatem miſcere, ſed viam demonſtrare, qua æternam tranquillitatem Bergomates conſequi poßint. illos malorum ingentem molem Bergomatibus comparare, qui ſpe præſentis pacis ſempiternum exitium animis eſſent allaturi. Miſereri ſe illorum conditionis, qui verſutiarum, & fraudum dæmoniacarũ ignari ad æterna ſupplicia præcipites ferrẽtur: ſe quantum imbecilli vnius hominis ingenio prouideri poſſet, has ignorantiæ tenebras diſcuſſurum; Deoq. potius, cuius voluntate id onus ſuſcepiſſet, quàm dæmoni, qui generi humano honores æternos inuideret, obtemperaturũ. Quod ſibi mortem denuntiaret, nihil ſe ea re commoueri: ſcire enim ſe, cùm ſic interiret, ad feliciorem vitam renaſciturum benigniſsimum illum

Chriſtum pro omnium ſalute hauriendum ſangui nem & dilaniandum corpus præbuiſſe: gaudere ſe occaſionem oblatam, qua quanti id beneficium fa ceret, demonſtrare poſſet. Plura dicturo ſatelli tum manus in capillos inuolat: extra templum ra pit: menſam vbi idola collocata erant, apponit, iu betq. ſacrificare. Proiectitius, qui diuini hono ris ſtudio ardebat, hac re audita, indignatione ex arſit, neque ſe continere potuit, quin in ea irrum peret. itaque ea conſputat, & manibus pedibusq. proſternit, atque obterit. tum vero præfectorum lictores, quaſi ſigno dato, Proiectitium lapidibus & fuſtibus aggrediuntur. is compluribus ictibus contuſus, cùm illi ſanguis os oculosq. compleſſet, ſopitus ad terram prolapſus eſt. inde cùm ad ſe rediſſet, erigit ſe, & genibus nixus ſummi redem ptoris et Stephani protomartyris inſtituto Deum precatus eſt, vt quod peccatum infideles inſcitiæ tenebris occæcati hoc nomine contraxiſſent, igno ſceret. precanti rurſus manus illatæ ſunt, & vſq. eò cæſus, vt inter verbera exſpirauerit, expeti tamq. martyrij palmam tulerit XVI. Calen. Septemb. anno a Chriſto nato ccc. viij. prope ſe-

pul-

pulcrum S. Heſteriæ locatus eſt. In ſepulcro hæc verba inciſa fuere.

Hic requieſcit in pace B. M. Proiectitius XVI. C. qui vixit ann. I. M. VI. D̄P. ſub. D. XV. Kl. Mai in. D. xiiij. Valerio Aug. Con.

Nonnulla deeſſe ſuſpicio eſt, vbi XVI. C. inſcriptum eſt, vox Sep. deſideratur: quo tempore martyrium ſubijt. Illud item vixit ann. I. M. VI. vel tempus, quo Archidiaconatum geſſit, refert, vel ſi de ætate proditur, falſi aliquid ſubeſſe credendum eſt. fortaſſe litera L. quæ quinquagenarium numerum ſignificat, aut vetuſtate exeſa, aut continenti hominum inceſſu attrita, formæ ſimilitudine in literam I. immutata eſt.

SANCTI IACOBI MARTYRIS VITA.

SVauitas illa, quæ ex rebus diuinis percipitur, tanta tamq. iucunda eſſe ſolet, vt aliorum omnium oblectamẽtorum ſenſum facilè excutiat. ob eam cauſſam cùm regius uates eam deguſtaſſet, ex eius ore illæ voces erupere: Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis, quam abſcondiſti timentibus te. Angelorum item cœtus, qui omnia in colẽda pietate pleniora vberioraq., inaniora autem & anguſtiora in rerum terreſtrium ſtudijs perſpexiſſent, gloria eorum accenſi, qui contemptis rebus humanis de mundo triumpharunt, hæc verba rectè & verè protulerunt: Quæ eſt iſta, quæ progreditur de deſerto delitijs affluẽs. abſurdum quidam videtur, & ab humani ſenſus conſuetudine abhorrens, vt quis delitijs affluens ex deſerto prodeat. in deſerto.n. omnia inculta,

aſpe-

aſpera, horrida, vaſta, feris et immanibus beſtijs referta, & ſpinis obſita ſunt; & aut ſolis abſceſſu, niue, atque pruina obriguere, aut appulſu exarſere. Delitiæ autem affluentem rerum copiam, illecebrasq. amœnitatis quaſi cognatione quadã attingunt. vbi hæ verſantur, laſciuia, hilaritas iuuenilis, riſus, precioſa & lauta ſuppellex, vnguenta adſunt: incenduntur odores, proponitur argẽtum, menſæ conquiſitißimis epulis extruuntur; quies molli ſtrato, ſilentioq. accerſitur. Has res maximè inter ſe diſiunctas et pugnantes, ſi quis diuino ſpiritu afflatus pietati ſtudeat, facilè coniunget. ad demonſtrandam mundi ſterilitatem, deſerti nomine illi vſi ſunt. vbi aut vrente aßiduo cupiditatũ ardore, inopia veræ ſapientiæ, & cæleſtis panis fame mirum in modum laboratur; aut charitatis frigore ſic corda langueſcunt, ut difficultate rerum ad ſalutem neceſſariarum conflictemur: vbi vaſta ſolitudo ab hominibus veram & catholicam religionem ſectantibus eſt, & fœda inhumanaq. ſæuißimorum tyrannorum crudelitas cernitur. Si quis in hoc mundi deſerto ita verſabitur, ut ratione firma & ſtabili omnes ſpes opesq. in Deo collo-

cet,

cet, fieri poſſe conſtat, vt omnes voluptates aſpernetur; omnem curſum in labore & patientia rerũ arduarum conficiat; non quiete, non remiſsione delectetur; & tamen iucundè uiuat, et certis gaudijs, tranquillaq. pace fruatur. Etenim incredibilis diuini amoris vis eam alacritatem ſtudiumq. adipiſcendi cæleſtis domicilij inijcit, vt dies ac noctes hoc pij homines ſuſpirent, hoc exſpectent, hoc ſe oblectent. quare hæc cogitatio non ſolùm ſenſum omnium acerbitatum tollit, ſed vt ſupra naturæ leges, contumeliæ, verbera, candentes laminæ, vincula, ſecures, exſilia, denique mors ipſa in delitijs habeatur, efficit. hinc intelligi poteſt populum Iſraeliticum non fruſtra cum agni ſacrificio lactucas agreſtes edere eſſe iuſſum. agnus.n. ille Chriſti veri agni ſacrificium referebat, qui a ceruicibus noſtris diabolicæ ſeruitutis iugum deiecturus erat. iccirco autem lactucæ agreſtes, quæ eſſent amariores, adhibitæ ſunt, vt perſpectum eſſet ijs, qui auguſtiſsimi Chriſti ſacrificii participes eſſe vellent, & in veram libertatem vindicari, iniuriarum, cruciatuumq. amaritiem eſſe guſtandam. Hæc etſi triſtia vulgò exiſtimantur: tamen iis, qui Spiri-

tus

tus ſancti donis inſtructi, ornatiq. ſunt, quiq. cæleſtem felicitatem animo præceperunt, dulcia, ſuauia, optabiliaq. videntur. id cùm aliorum ſanctorum virorum, tum præcipuè S. Iacobi martyris exemplo cognoſcendum eſt.

Iacobus Bergomi honeſto loco natus et liberalium artium ſtudijs eruditus ſic admirabili quodam dicendi lepore, et artificio conciliandæ beneuolentiæ floruit, vt eius conſuetudo ab omnibus ferè expeteretur. vnum erat, quòd virtutis præſtantiam magnitudinemq. fœdaret, quòd idolorum cultores ſectabatur, ſed ſummi Dei beneficio in veritatis ignoratione haud diu verſatus eſt. Quadam die a quodam ex Canonicis, a quibus ea tempeſtate plurimũ ſtudij in religione longè lateq. diffundenda ponebatur, concio ad populum de fide habebatur; vehementiſſimaq. contentione fractis & conuictis idololatris, quaſi quibuſdam verborum admotis facibus, ad fidei virtutem populus inflammabatur, copiaq. grauiſſimorum argumentorum rationes religionis noſtræ fermè ſub aſpectum ſubijcebantur. cùm Iacobus in exquirendis, vt fit, rebus alienis curioſus ibi tum fortè adeſſet, ſic eius

animus commotus eſt, vt et veritatis Euangelicæ lumen ſtatim intueri cœperit, & pietatis Chriſtianæ ſtudio incenſus, deinceps Canonicorum domicilium frequentarit. Fortunatam & præclaram noſtrorum temporum conditionem, ſi quale vniuerſum Canonicorum collegium tunc erat, nunc talis bona magnaq. pars exſiſteret. ſic.n. moribus & doctrina inſtituti erant, vt ſacerdotiis ſuis, quæ per ſe honeſta & ampla erant, plurimũm honoris docendo, precando, vitamq. ſanctiſſimè agendo adijcerent; abſtinentiaq. & temperantia clari, quibus præcipuè virtutibus hominum animi ad colendos obſeruandosq. ſacerdotes alliciuntur, maximam apud omnes haberent auctoritatem. inerat præterea tanta grauitate quadam condita humilitas, vt qui exiſtimatione ſũmos ciues anteirẽt, humilitate pares infimis eſſent; atque ijs præſidijs non modò noſtræ religionis inſuetos, ſed etiam infeſtos hoſtes ad Chriſtum conuerterent. Iacobus, qui ad omnem ſuauitatem humanitatis natura procliuis eſſet, nactus amabiles, & cum eius ingenio congruentes Canonicorum mores, ſe totum in eorum diſciplinam tradidit, breuiq. inſtitutis et præceptis

*Chriſtianis imbutus repudiato cultu idolorũ Chri-
ſto nomen dedit, eiusq. proceſſus in fidei diſciplina
oĩbus admirationi erat. quotidianis deinceps rerũ
diuinarum commentationibus id aſſecutus eſt, vt
inter peritiſſimos doctiſſimosq. Chriſtianos nume
raretur. Erat quidem Iacobus tam admirabilis vi
quadam ingenij, vt ad id vnum natum diceres,
quodcunq. ageret: ſed tamen excellẽtes et ſanctos
uiros imitãdi ratione erat admirabilior: quare vt
ſæpe pictores cũ egregiũ aliquod virilis aut mulie-
bris formæ opus elaboraturi ſunt, varia et formo-
ſiſſima corpora ſibi proponunt, ex quorũ animali
exẽplo mutam in imaginem veram pulchritudinẽ
transferant; idq. eam ob cauſſam, quòd abſolutam
et omni ex parte perfectam venuſtatẽ vno in cor-
pore reperire non poſſint: ſic Iacobus collatis oĩbus
oĩum hominũ virtutibus, ex varijs & præſtantiſſi
mis ingenijs præclariſſima quæq. ad conſtituẽdam
perfectã uitæ Chriſtianæ rationẽ ſibi delegit. iccirco
in inueſtiganda, perſpiciẽdaq. veritate acerrimꝰ
euaſit, in contemnendis diuitijs & honoribus ma
gnanimus; in prætermittendis voluptatibus conti-
nentiſſimus; in rebus gerendis accuratus & indu-*

ſtrius;

ſtrius; in excitandis, deterrendisq. hominũ voluntatibus eloquentiſſimus; in ſeruãdis ieiunijs, in frigore & caloribus & vigilijs perferendis patiẽtiſſimus. tanto viro Eccleſiæ parto Canonici cæteriq. fideles Deo gratias agere, gratulari, et oĩ ſermone lætitiam ſignificare, futurumq. ſperare, vt eius dignitas generis; conſilij, animiq. magnitudo & integritatis, induſtriæq. præſtãtia reipub. Chriſtianæ plurimum prodeſſet. tantum autem abſuit, ut eorũ exſpectationem Iacobus fruſtraretur, vt etiam meritis ſuis ingentibus eam ſuperarit: cumq. plurima eius decora in tuenda fide Chriſtiana celebrarentur, nõ multò poſt in Canonicorum collegium ſumma omnium voluntate eſt cooptatus. plurima præclara opera in Canonicatu edita viam ad Archidiaconatum aperuerunt. nam nõ multò poſt, mortuo Archidiacono, non occultis ſuffragijs, ſed viua voce communis iudicij indice Archidiaconus eſt renunciatus. ille vero quamuis dignitate et meritis nullius honoris faſtigium non æquaret, tamen delatum Archidiaconatus munus abnuebat. in eius enim animo multæ & graues cogitationes verſabantur: primum humilitas ei cordi erat:

cui tantam laudem a Chriſto tributam meminerat, vt multis aliis virtutibus anteferretur. deinde veniebat in mentem difficillimæ & periculoſæ rationis gerendi Archidiaconatus: cuius adminiſtrationi cum inopia Epiſcopi rerum ſacrarũ procuratio ſubiiceretur, ſe magnum in diſcrimen ſalutis ſuæ adduci intelligebat, ſi ſua aut ignorantia, aut negligentia eo in munere mali quid contractum eſſet. poſtremò minacibus illis verbis vehementer commouebatur, quibus Deus denunciarat ſe ſanguinem ex ouibus effuſum de manib⁹ improborum paſtorum quæſiturum. His de cauſsis ſe tantæ amplitudini imparem dicere, obteſtariq. vt alicui alii regendæ Eccleſiæ peritiori, & ad ſubeundos labores firmiori ſumma rerum Eccleſiaſticarum committeretur. ſi quis ſui vſus eſſet, non minorem eos ex priuato capturos. quò magis Iacobus reſiſtebat, eò acrius omnium voluntates ad deferendum ei Archidiaconatum, eius modeſtia incendebantur: adeò prætermiſſa gloria plerunque cumulatior redit. quare cùm omnium voces vndiq. exaudirentur, in illo plus ſcientiæ & virtutis eſſe, quàm in omnibus aliis, et laudibus haud imme-

meritis cumularent, precatus Deum, vt ea res ſibi & Eccleſiæ felix & fauſta eſſet, Archidiaconatum ſuſcepit. in eo munere ita ſe geſſit, vt charitate & gubernandi arte cuilibet ſuperiorum præſidum par cenſeretur. qui cum ſuæ procurationis fundamentum eſſe duceret, Eccleſiæ ſtatum, qui diuino conſilio, & bonorum omnium conſenſu, Canonicorumq. auctoritate firmatus & tutus exiſtimabatur, ſua moderatione cõſeruari: ad eam rem omnes ſuas cogitationes reuocauit. cùm ſic fide & ſanctitate res Bergomi compoſuiſſet, vt non modò auctoritatem ſuã, ſed etiam Eccleſiæ maieſtatẽ auxiſſe appareret, ciuitas, quæ pacis et religionis perfruẽs bonis, egregiè Iacobi procuratione gaudebat, noua peſte agitari cœpta eſt. Proſtratis Bergomi idolis cùm dæmon ſuam fraudem detectam ſenſiſſet, ſubtilioris & obſcurioris artis rationẽ ad perdendas animas ſibi ineundam exiſtimauit: nulla alia re æquè homines falluntur, ac ſi impietas pietatis imitatrix adhibeatur, ſub dolaq. & inſidioſa religio adeò prope veram et incorruptam ſimilitudine quadam accedat, vt non niſi à peritiſſimis internoſci poſſit. quare dæmon hanc viam ſibi

aptam

aptam, & ad fruſtrandum accommodatam eſſe arbitratus eſt. Homines autem nactus, et ad excogitandum acutiſſimos, et audendum impudentiſſimos, & ad efficiendum acerrimos, iiſq. adminiſtris ad labefactādas animas uſus, incredibile eſt, quantas cum noſtra, tum antiquorum memoria ruinas ediderit; quot vrbes, quot prouincias ingenio freta malitia euerterit. neque.n. ab illis cauere facilè fuit, qui Chriſtiano nomine vſurpato, et argumentis ex ſacrarum literarum fonte fallaciter ductis, ſimplicium animos deprauabant, & falſa miſta veris afferentes, iiſq. qui voluptatibus facilè capiuntur, indulgentes, eos opinionum prauitate inficiebāt. ſed cæteris incōmodis, quæ ex hæreſibus accepta ſunt, prætermiſſis, vnum illud, quod Ario ſacerdote Alexandrino auctore, nobis importatū eſt, attingemus. Is cùm Imperatore Conſtantino fronte & oratione integritatem & pietatem ſimularet, ſubſtantiam, qua Deus pater & Chriſtus filius vnum efficiuntur, ſeiungere auſus eſt; & filium a patre creatum, quamuis excellentiſſimam haberet naturam, tamen patre minorem, et ei inæqualem, neque omnipotentem eſſe contendit: verbumq.

bumq. quod ab æternitate fluit, temporum legibus temerè impieq. ſubiecit: tantaq. veſania innata eſt, vt item baptiſmi myſterio initiatis iterum baptiſmum ſuſcipiendum eſſe confirmaret. Tunc Alexandrinam Eccleſiam Alexander vir ſumma doctrina & vitæ ſanctitate præditus obtinebat, ſed qui facilitate & lenitate, quæ ſæpe cum tarditate coniuncta eſt, vniuerſæ Eccleſiæ nimio plus offecerit. nam cuius turbulentiſſima amentia, non verbis, & diſputationibus theologorum, ſed atroci pœna coercenda fuit, eum miti cohortatione, & molli, vt aiunt, brachio ad ſanitatem adducere conatus eſt. ſed vt ſæpius indulgentes medici, quàm ſeueri in curandis morbis offendunt: ſic qui Eccleſiarum et rerum publicarum clauum tenent, dum tranquillitati proſpiciunt, & concitatos animos flectere, quàm frangere malunt, neglectis rerũ principijs: ſerò tandem et nequicquã, & tranquillitatem et dignitatem ſe amiſiſſe ſentiũt. quòd tũ documento fuit. nam dum maioribus præſidijs ab Ario Eccleſia oppugnatur, quàm ab Alexandro defenditur, in dies malum latius ſerpere, et plurimi alij peſtis contagione inſanire cœperunt: poſtremò eò ar-

dor Arianorum erupit, vt cùm Alexander procellas eorum ſuſtinere non poſſet, et magnam impendere cladem cerneret, Conſtantino Imperatori id literis nuncijsq; ſignificarit. ob eam rem Conſtantini iuſſu de Silueſtri Sum. Pont. ſententia & auctoritate, Nicea, quæ vrbs in Bithinia ſita eſt, concilium indicitur. vbi cùm ccc. xviij. Epiſcopi, Imperatorq. ipſe affuiſſet, Arianorum hæreſis conuicta & damnata eſt, non tamen exſtincta, nam etſi Arius, Epiſcopiq. xvij. quorum inſita pertinacia nulla auctoritate vinci potuit, in exſiliũ pulſi ſunt, ijsq. anathematis nota inſuper inuſta: tamen hoc malum ſic in dies creuit, non ſuaſionibus modò Arij apertis, ſed quòd multò pernicioſius eſt, clandeſtinis ſermonibus, vt malorum ingentem molem in Eccleſia excitarit. quæ poſtea ne armis quidem & auctoritate Imperatoris ſedari potuerunt. Anno deinde a Chriſto nato ccc.lxvij. cùm Valẽtiniano imperium mandatum eſſet, Valentem fratrem Imperii ſocium ſibi adiunxit, atq. vt ille Catholicorum honori ac dignitati fauebat: ita hic Arianorum partibus ſtudebat. mortuo Valentiniano ad vnum Valentem Imperium rediit.

cùm

cùm is haud multum ad ſe pertinere crederet, vtrum hoc an illo viueretur modo, voluntate eius et Iudæi palàm ac liberè ad veteres ritus cæremoniasq. iam diu intermiſſas verſi ſunt, & idololatræ antiqua ſacra, quæ penitus deſeruerant, repetierunt: iam libidine ac licentia Arianorum ex diutino fauore collecta omnia gerebantur: omnia diuina atque humana perturbabantur, et in unos catholicos ſæuiebatur. Arianaq. hæreſis adeò longè lateq. vim ſuam diffudit, vt Bergomum quoq. peruenerit, breuiq. altiſsimis nixa radicib⁹ et fundamentis ingentem multitudinem a catholica fide auerterit: quin exitialis & effrænatus hæreticorũ furor eò progreſſus eſt, vt eorum armis quadraginta Canonici vna die atque vno impetu, et vno in S. Alexandri templo, crudeliſsimo exemplo contrucidati ſint. Hic in illo catholicorum pauore ac tumultu Iacobus ſuis, quibus annos xx. præfuerat, non deerat, eorumq. ſalutem proprijs rationibus anteferebat. nullum tempus neque diurnum neque nocturnum præteribat, quominus pro tẽporum ratione, territos confirmaret, afflictos excitaret, perditosq. recrearet. modò in circulos ſe

inſerebat, & hæreticorum cætus diſcutiebat. ibi quæ temporũ condicio et communis ſalus poſtulabat ardenti ſtudio diſſerebat. Hæc cùm priuatim ſæpius feciſſet: ac non ſolùm Catholicos in officio contineret, ſed iam plurimos Arianos patefactis Arij fallacijs ad ſanitatem flexiſſet, omnibus tandem ad templum S. Alexandri accitis, huiuſmodi ferè adhortatione errorem eripere conatus eſt. Multis, inquit, & magnis rerum euentis experti ſumus, optimi, mihiq. magna charitate dilecti Bergomates, ad tuendam catholicam fidem nil concordibus & coniunctis animis eſſe firmius, neq. ſalubrius, ſed Noe Arcæ myſterio id præcipuè ſignificatum eſt. nam quemadmodum obtinentibus omnia aquis, id omne, quod ab Arca ſecluſum remanſit, aquarum diluuio hauſtum eſt: ſic qui ſua conſilia ab Eccleſiæ rationibus ſeiungunt, falſarum opinionum voraginibus intereant, neceſſe eſt. exiguum fuiſſe numerum eorum, qui in Arcam recepti incolumes ſeruati ſunt, accepimus; ingentem verò multitudinem, quæ aquis obruta eſt. nec ſecus, qui verum Dei cultum ſequantur, & medio ſinu gremioq. Eccleſiæ contineantur, pauci ſunt

præ multitudine eorum, quos ab Eccleſiæ naui impietatis tempeſtas auulſit. Impietatis verò cùm multa ſint genera, nulla tamen eſt exitioſior, nulla capitalior, quàm hæreticorum: qui in quo maximè pietatem colere profitentur, in eo à patrum doctrina longiſſimè declinant; pietatisq. ſpecie catholicã fidem euertunt. quòd ſi apertum bellum nobis indicerent, vt infideles & pagani faciunt, minus eſſet laboris & periculi: tanquam.n. cum inermi hoſte nobis pugnandum eſſet. nunc cum armato hoſte nobis res eſt: quippe qui dolis fatigemur; & quibus verbo pax nunciatur, re aſperrimum bellũ inferatur. ſed nos inſidias detegendo arma illis detrahamus: Ariјq. fraus, qui dæmoniaca fallacia deceptus, alios decipere ſtudet, nos non timidiores ſed cautiores faciat. quid is tandem ait? ſi filius Dei natus eſt, fuit aliquando tempus, cùm is non extitit: atque hanc ob cauſſam filius, qui ab aliquo tempore initium duxit, patre, qui a nullo principio ſed ab æterno tempore fuit, minor eſt. Ah impie & ſtulte, non intelligis hoc naſci ex Deo ſic ſempiternum eſſe, vt eadem ab infinito tempore æternitas patri ac filij origini debeatur? non ſecus ac

ſplendor, qui ex igne diffunditur, igni æqualis eſt; eſſetq. ſempiternus, ſi igni ſempiternum tempus tributum eſſet. Quàm verò abſurdum eſt illum a patre factũ eſſe, per quem omnia facta ſunt? quod ſi filius non eſt aliquid creatum & factum, Deus ſit oportet: quidquid.n. creatum non eſt, id Deum eſſe ſcimus. an cùm omnem creaturam vel inuitam vanitati ſubiectam audimus, Chriſtum, qui perfectus Deus et perfectus homo fuit, eidem huic uitio obnoxium eſſe exiſtimabimus? cùm præcepit, ut Euangelium omni creaturæ prædicetur, hoc creaturæ vocabulo, eum comprehenſum putabimus? et vt ſibi ipſi Euangelium explicaretur, mandare voluiſſe, nobis perſuadebimus: hoc longè a veritate abhorret: illa Pauli verba, quibus Chriſtum non rapinã arbitratũ demonſtrat eſſe ſe æqualem Deo, quorſum ſpectant? cùm dicit: omnia, quæ pater habet, mea ſunt, an hæc cum Arij ſententia congruunt? erit par patri filius, facultasq. omnium, quæ pater habet, filio ſuppetet, ſi filius minor ſit patre? quid? Deum non potuiſſe an noluiſſe ſibi filium ſibi parem gignere contendet? portenta et monſtra certiſſima hæc ſunt, aliquem eſſe, qui

Deum omnipotentem hoc facere potuiſſe neget: ſin noluiſſe aliquid inuidiæ in Deo ſubeſſe ſignificabit. quò quid abſurdius, & a veritate alienius? an hominibus ea pietas erga liberos a Deo inſita erit, vt nihil illis ſit iucundius, nihil charius, nihil dignius, in quo paterna diligentia, indulgentiaq. conſumatur; in quos ſi poſſint, ea bona congerant, quibus paternam virtutem ſuperent: Deum hoc in ipſo filio recuſaſſe putabimus? his delirationibus non ſolùm ſacræ litteræ, ſed natura ipſa reclamat. cùm hominem condere aggreſſus eſt, nonne hæc verba protulit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram? his eum cum filio, per quem fecit & ſecula, ſermonem inſtituiſſe conſtat. illis autem verbis: Ad imaginem noſtram, nonne ea vis & ſententia ſubiecta eſt, vt patris ac filij eandem ſubſtantiam formam & ſpeciem eſſe ſignificet? at filius ipſe patrem ſe maiorem dictitauit: itemq. eundem filium inferiorem propemodum, quàm angelos factum ſacræ literæ teſtantur. ad vſitatas hæreticorum captiones redis Ari: qui ex ſacrarum literarum medio aliqua ſententia arrepta, præter-

termiſſisq. quæ eam ſententiam antecedunt, aut ſubſequuntur; non rebus, non temporibus collatis, ex quibus veritas elucere ſolet, incautos imperitorum animos fallunt. Cum hominis formam cepit; cùm turpiſſima morte affectus acerbiſſimum ſeruitutis iugum a nobis repulit, non ſolùm infra patrem, ſed etiam infra Angelos depreſſus eſt. cùm Angelos, cùm cælum, cùm mundum, & quæ his continentur, condidit, cùm æternam vitam nobis largitus eſt, tum patri par exſtitit. ſed quid cum illis agas, qui etiam baptiſmum rurſus ſuſcipiendum aſſerunt? cùm ei, qui ſemel lotus eſt, non opus eſſe ſciatur iterum lauari: quæ cùm ita ſint, illud fixum in animis veſtris maneat: vos Eccleſiam ducem ſequi debere: inprimisq. id credere, quod a Sancta Synodo Nicena decretum eſt, filium eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, cuius pater eſt. Quod ſi ingens multitudo a nobis diſcrepet, ſententias non numeremus, ſed pendamus. tunc quantum patrum decretum propendeat, intelligemus: puerosq. Babilonios imitemur, qui nulla habita ratione multitudinis veritatem aſpernantis, ſeipſis contenti,

& ſi tres ſoli erant nullumq. ſupplicium deprecati, Deo parere, quàm prauis hominum voluntatibus obſequi maluerunt. Hæc cum ingenti piorum aſſenſu accipiebantur, cùm ea res Arianis renunciatur. Ariani, qui Iacobum tanquam catholicæ fidei propugnaculum odiſſent, eiuſq. domicilium arcem eſſe catholicorum fremerent, agmine facto in templum irruperunt. ab ijs Iacobo concionanti iaculo caput ictum eſt, mox is ex ſuggeſto præceps actus, ac demum nodoſis fuſtibus contuſus laurea triumphali donatur v. nonas Maij anno CCCLXXX. & lacrymis & meritis laudibus, quamuis timor arceret, tam memorabilem Iacobi mortem fideles proſecuti ſunt, corpusq., quod poſtea miraculis illuſtratum eſt, in æde S. Alexandri condidere.

SANCTI IOANNIS EPISCOPI ET MART. VITA.

QVAE ab initio ſuſceptæ Chriſtianæ religionis plurimi ſancti viri Bergomi geſſerint, hactenus expoſui, res multiplici vrbis clade & vetuſtate obſcuras, & quarum continuatio & ſeries longis temporum interuallis interrupta fuit. Etenim primùm etſi multi vitæ ſanctitate meriti ſunt, ut per omnium annalium monumenta, celebres nominibus eſſent: tamen quòd pauci domi noſtræ ſe ad ſcribēdas res eorum geſtas applicauerunt, pietatis eorum et religionis laudes obliuione deletæ ſunt: deinde ſi quæ etiam in publica, priuataq. monumēta relata ſunt, incenſa vrbe, pleraq. interiere. neq. verò veriſimile eſt, quæ ciuitas magna animi alacritate & ſtudio Chriſtianam religionem ſuſceperit, ſuſceptāq. defenderit, eam non magnam ſanctorum virorū copiam continenter tuliſſe: quorum ductu in bene

cœpto perſeueraretur. Nunc quò maius ſpatium inter Iacobi et Ioannis ætatem intercеßit, nullaq. interim aliquorum ſanctorum monumenta extãt; eò grauioribus calamitatibus vrbem perculſam atque afflictam fuiſſe putandum eſt. Hoc n. fermè interuallo Hunnorum barbarorumq. aliorum innumerabilis uis ſe in Italiam effudit: a quibus non ſolùm monumenta & ſcripta combuſta, ſed vrbes ipſæ ruinis ſtratæ ſunt, ſacris profanisq. iniectus ignis. verùm vt cui plures liberi ſuſcepti ſunt, ſi pars eorum deceſſerit, quò pauciores ſuperſtites ſunt, eò hi cariores et iucũdiores eſſe ſolent: ſic nos, quò rariores ſanctorum virorum laudes a patribus nobis proditæ ſunt, eò accuratius & ſanctius eos, quorum memoria relicta eſt, colemus, atque imitabimur. His autẽ rationibus S. Ioannis Martyris res geſtas, de quo nunc agendum eſt, maximè conducere arbitrabimur: quæ quò propiores noſtræ ætati ſunt, eò etiã certiores & clariores erunt.

Ioannes Bergomi haud humili loco natus eſt. is etſi ineunte ætate veſtigijs ſanctorum virorum ingreſſus, quæ virtutis maturitas futura eſſet, ſignificarat: tamen ætatem doctrina, religione, & mo-

rum

rùm integritate dicitur anteiſſe. nam cùm puer artibus liberalibus erudiretur, ſenili iudicio, inanibus puerorum delectationibus repudiatis, ſe totum & animo & corpore in colenda pietate collocauit: & ſimul ac è ludo dimittebatur, æqualium cœtu relicto templum ingrediebatur, manibusq. ad cælum ſublatis, Deum orabat, vt infirmæ & lubricæ ætati opem ferret & viam ſalutis oſtenderet. hoc animi robore confirmatis rectis ſanctisq. conſilijs, ſuas cogitationes ad ſacrarum literarum ſtudia, reliquasq. pias exercitationes direxit, breuiq. in clericorum ordinem, reclamantibus parẽtibus, quorum poſteritatis ſpes hoc unico filio nitebatur, adſcriptus eſt. Cùm ſpecimen ſapientiæ temperantiæq. antiquæ dediſſet, inter Canonicos lectus eſt, & per ſacrorum ordinum gradus a Quintiano Epiſcopo ad ſacerdotium elatus. tum verò, qui ad eam diem omnia charitatis officia diligenter ſancteq. ſeruarat, non modò liberalius afflictis priuatorum fortunis conſuluit, ſed de tota ciuitate optimè meritus eſt: nihilq. beneficentia & miſericordia præſtantius & Deo gratius eſſe duxit. Hac ratione cùm delatorum honorum

ſplēdorem nouorum meritorum magnitudine ſuperaret, mortuo Quintiano, cum ingenti omnium approbatione Epiſcopus renuntiatus eſt. recuſanti & inuito hunc ei honorem detulerunt. ſed vir acutus & prudens, cùm ſuperioribus temporibus pietate & charitate cæteros viciſſet, tum ſeipſum vicit. Priuatis.n. hominibus ſatis ad laudem & pietatem eſſe poſſe exiſtimabat, ſi ſe probos & iuſtos præbuiſſent. at qui animarum gubernacula tractaturi erant, niſi ij eſſent, vnde iuſtitiæ, vigilantiæ, pudoris et charitatis exempla peterentur, illorum procurationem non modò inanem ſed turpem futuram putabat. neque.n. fieri poſſe uidebat, vt populi vel mediocriter diſciplina Chriſtiana imbuerētur, niſi qui præerant, omnium virtutum compotes fuiſſent. itaq. in primis in obeundis munijs Epiſcopalibus ſe acerrimum ac diligentiſſimū præſtitit: in ſacrarum item literarum libris voluṫandis, & in prædicatione verbi Dei, quantum poterat, verſabatur. vt verò Canonicos, quos cenſu, honore, & commodis auxerat, comites et adiutores negocii publici haberet, vnas ædes cum eis habitauit, eodemq. cultu & victu contentus fuit:
eaſ-

eaſdem preces nocturnas diurnasq. obiit. atq. hæc ei cum Canonicis erant communia. illud Ioannis præcipuum, quòd ſic animum nonnunquam a corpore auocabat, vt ſe totũ in contemplando ſummi rectoris numine collocaret, & in corpore humano cæleſtẽ uitam imitaretur. etenim cùm tot tantaq. ſint, quæ partim a Deo accepimus, partim accepturi ſumus, vt ea nemo non modò facultate vlla conſequi, ſed ne cogitatione quidem complecti poſſit: tamen in eo potiſſimum ipſius erga genus humanum eluxit benignitas, quòd eam poteſtatem nobis dedit, vt animis in cælũ verſaremur, eiusq. maieſtati velut neceſſitudine quadam iuncti vitã cæleſti ſimilem ageremus. Quæ.n. ratio ijs rebus; quæ ſub aſpectum oculorum cadunt, cùm ſole eſt; eadem ijs, quæ ratione ac intelligentia percipiũtur, cùm Deo intercedit. ſol mundum hunc aſpectabilem; Deus animum, qui cerni non poteſt, clariſſima luce colluſtrat. ille corporis oculis id tribuit, vt lumen ipſius aſpicere poſſint; hic mẽtes in formam diuinam transfert. ille cùm ijs, quæ vidẽdi ſenſum habent, & ijs, quæ in aſpectum veniunt, hanc vim tribuat, vt & illa videre & hæc aſpectu comprehen-

hendi poſſint, tamen ipſe omnium, quæ oculis ſubijciuntur, eſt ſplendidiſſimus & aſpectu pulcherrimus: Deus cùm tam his, qui intelligentia præditi ſunt, quàm quæ mente comprehenduntur, id conceſſerit, vt & illi intelligant, & hæc intelligentia percipiantur: tamen ipſe eorum quæ in intelligentiam cadunt, ſummus eſt & excelſiſſimus apex. neque.n.mens quamuis perſpicax & ſolers, altiſſimeq. tendens, quicquam habet, habituráue eſt ſublimius, quò feratur: propterea quòd ipſe omniũ bonorũ ſummũ & extremum eſt: quò cùm peruenerimus, omnis ſpeculatio conquieſcit. cui igitur datum eſt, vt hac carnis caligine, qua circumfuſus eſt, perrupta, in ſplendidiſſimum illud & puriſſimum æternitatis lumen, quantum mortali fas eſt, intueri poſſit, is duplici ratione beatus cenſendus eſt, et quòd ſe a terra lõgius extulit, et quòd quamuis in corpore incluſus eſt, tamen eminet foras & cum Deo vſu quodam & conſuetudine, quod ſupra hominem putandum eſt, ſe coniunctum ſentit. contemplationi rerum cæleſtium cùm ſe Ioannes dedidiſſet, vberrimosq. fructus ex ea caperet, non tamẽ in hac iucunditatis immenſitate diu ſe conti-

ne-

tinebat, quòd tanti luminis ſplendorem mẽtis eius acies ſuſtinere non poſſet. quin quemadmodum ſolem acrius intuentibus vſu venit, vt aſpectũ amittant, ſic ipſe mentem diutius Deum contemplantem hebeſcere, & a gloria opprimi non ignorabat. cùm tamen ſe a rebus cæleſtibus ad humanas referebat, magnificentius excelſiusq. dicebat. itaq. nõ ſolùm ciuibus iucundus et carus erat, ſed ab exteris tantam ſibi gratiam famæ celebritate conciliauit, vt Platina, cùm de Ioanne V. Sum. Pon. agit, his verbis vſus ſit: Pontificatum illius etiam fecere celebrem & ſelix Flauiani patruus, vir tantæ integritatis et doctrinæ, vt Gũdibertus Aritperti filius Longobardorum rex ei baculum argento & auro inſignitum virtutis gratia dono dederit, & Ioannes Bergomatum Epiſcopus, cui ob ſanctitatem & doctrinam reges & principes honoris gratia aſſurgere conſueuerunt. Hæc Platina. ſed multa præterea beneficia a Grimoaldo Longobardorũ rege, cui Arianæ hæreſis errorẽ eripuerat, in eũ collata ſunt, tum templũ ab eo Faræ conditum, & S. Alexandro dicatum, prædiaq. quæ templo attributa erant, Ioanni conceſſa. Illud quoq. ingens

gens pietatis argumentum habitum eſt, quod diuini ſacrificij conficiendi ab eo nulla intermiſsio fiebat, nulloq. vnquam negocio aut incommodo abducebatur, quin ſtatis horis diuinas preces perſolueret. tantoq. ſtudio rerum diuinarum tenebatur, vt illud euentu mirabile a Bartholomæo Oſſa, & Ioanne Maria Mediolanenſi locupletiſsimis auctoribus memoriæ proditum ſit: Ioannem cùm die quadam ſe Fara Bergomũ recepturus eſſet, ibiq. rem diuinam facturus, atque ea de re ad Canonicos ſcripſiſſet, tranſigendis negocijs, matutini temporis magnam partem non ſentientem, vt fit, conſumpſiſſe, atq. tum diſceſsiſſe cùm iam ſe ſol altius extuliſſet. qua re animaduerſa, magno dolore ictũ, commutato conſilio & itinere conuerſo, Faram repetijſſe, ſegnitiemq. ſuam vehementer queſtum, totius diei ieiunio, & aſperiori labore ſe ipſum mulctaſſe. Bergomi verò Epiſcopi aduentum Canonicis opperientibus, & cùm meridies inſtaret, eum non adeſſe admirantibus, e cælo hanc vocem exauditam: ite miſſa eſt; et aliam redditam: Deo gratias. quo quidem miraculo declaratum eſt, & Ioannis labores Deo acceptos fuiſſe, & ſacrifican

di

di ſtudium, perinde ac ſi ſacrificatum eſſet, probatum. ſed non modò in ijs, quæ ſeriò & grauiter agebantur, miraculis eſt illuſtratus, verùm cùm in eo ludus iocuſq. petulãter et illiberaliter quæreretur, viri ſanctitas diuino numine atq. auxilio defenſa eſt. Cunipertus Longobardorum rex ad conuiuium Ioannem forte adhibuerat. cùm ſermonem vterq. longius produxiſſet, Ioannes, aſſentatione vitiorum adiutrice procul amota, neſcio quid liberius ad comprimendas, & reſtinguendas regias cupiditates protulit. id etſi dimiſſè, & leniter, ac remotis arbitris, quæ inerat viro naturalis ingenij dexteritas, factum eſſe fertur: tamen regis animus, cuius aures veritati minus patebant, offenſus eſt. quare vt Ioannis admonitiones ſine vllo motu ac tumultu vindicaret, equum indomitum et effrænatum ei ſterni iubet. is ſæpe inſidentem, aut inuitum longius extulerat, aut prioribus pedibus ſe erigendo excuſſerat, aut calcitrando ſuper caput effuderat. ſed in hunc elatus Ioannes eo adeo manſueto & obedienti vſus eſt, vt & incitatum ſuſtineret, & arbitratu ſuo flecteret, ac moderaretur. ea re àre-

ge perſpecta, iocus in admirationem verſus eſt, & non modò equo Ioannem donauit, ſed poſtea præcipuo in honore habuit. verùm & ſi Ioanni magnæ curæ erat, vt prolapſos mores cum regum tum populorum reſtitueret, oblataſq. eius rei occaſiones non prætermittebat: tamen periculi cogitatio, quod ab hæreſi Ariana impendebat, magis ſolicitum eum habebat, & anxium. neque enim iam diſceptationibus & conuentibus, ſed vi & armis res gerebatur, Arianorumq. animi ad execrabile odium in Catholicos exarſerant. alios aperto bello perſequebantur: alios latronũ ritu aut procedentes domo, aut ad varios commeantes vſus excipiebant: alios inſidijs circumueniebant, aut in deſerta deductos diuerſoria opprimebant. cùm ex alijs regionibus complures, tum præcipuè Inſubres ijs facinoribus infames erant: qui non modò in finibus Mediolanenſium in Catholicos ſæuiebant, ſed quòd a Bergomatibus tantum flumine Abdua diuidebantur, id tranſgreßi, extrema agri ita incurſabant, vt coli non poſſet. Ioannes vbi parum ſubſidij in deterrendo eſſe vidit, ſeq. tanquam Catholicorum caput peti animaduertit,

Fu-

Faram opidum oportunè ad flumen Abduam ſitum hoſtibus obiecit. id ante hæreſis erroribus purgauerat, ac dirutum reſtituerat, & muro foſſaq. munierat; tum valido præſidio firmarat. Ex hoc loco non ſolum Arianos citeriore agro arcebat, ſed ipſe traiecto amne fugam eorum, qui vlteriorem ripam obtinebant, occurſabantq. fecit. congreſſus item cum iis qui ex varia trepidatione ſe in vnum collegerant, ferro ſibi viam ad catholicos aperuit, obuioſq. alios ſæpe fudit fugauitq. & ſiue a fronte, ſiue a latere, ſiue a tergo hoſtes ſe oſtendiſſent, parua ſuorum iactura, magnam eorum ſtragem fecit. nõnunquam quoque coniuncta ſuorum manu cum Ioannis boni Antiſtitis Mediolanenſis copiјs, implorantibus catholicis auxilium tulit. Qui ante in Eccleſiæ procuratione Epiſcopi pietatem, temperantiam, et moderationem mirati fuerant, in bello fortitudinem ducis mirabantur; & non modò antiquos pontifices ſanctitate & doctrina, ſed iam clariſſimos duces virtute & rei militaris ſcientia æquare exiſtimabatur. cùm hoſtibus terrori, & amicis præſidio eſſet, catholiciq. lætitia ingenti efferrentur;

omneſq. alacres & fiducia pleni beatam Eccleſiam Bergomatem, & inuictam & æternam illius ductu futuram ſibi perſuaderent, magna clade tantum gaudium fœdatum eſt. Erat Alahis Tridẽtinorum Dux magna homo audacia: apud quem, vt pleraq ſunt barbarorum ingenia, fides nihil ſancti habebat. is iam inde a puero, Perthariro Longobardorum regi, qui prauitatem in eo animi ingenijq. tacitè intuebatur, ſuſpectus et formidoloſus fuerat. contra Cunipertus Perthariti filius, vſu familiaritate, et beneuolentia ei coniunctus erat. etſi hunc pater ſæpe monuerat, eum falli ſi Alahis eo ſtatu, qui ei partus erat, contentum fore putaret, ſuaſeratq. ne orientem ignem, quo ipſe præcipuè arſurus erat, foueret: tamen prudens hæc eius oratio nõ modò nihil profecerat, ſed filius inſtando orandoq. peruicerat, vt pater Alahim in gratiã reciperet: tantusq. error occæcauit Cuniperti animum, vt non prius quierit, quàm pater eum inſuper Brixia vrbe in primis florentiſſima & opulentiſſima donarit. haud falſus vates pater fuit, quæq. decãtauerat, ea incredibiliter vera cecidere. nam Alahis poſt Perthariti mortẽ bene-

fi-

ficij immemor, captato tẽpore, quo Cunipertus abeſſet, magnis copijs coactis pacatũ regnum inuaſit: & cuius nomen gratiſſimo aĩo proſequi debebat, eius ditionis plurimas vrbes inprimisq. Ticinum nec opinato aduentu occupauit. Cunipertus cũ ſua aduerſus vim, iniuriamq. præſentẽ tueri nõ poſſet, inops conſilij, in inſulam Comacinã profugit. Interim Alahis, quòd Arianarũ erat partium, in Catholicos oĩs iniuriæ, crudelitatis et inhumanæ ſuperbiæ exemplũ edidit, Ioannemq. qui Eccleſiam Bergomatem annos xxix. ſanctiſſimè rexerat, necauit. Ioannem anno Dclxxxiij. v. idus Iulij cæſum eſſe inter omnes ſcriptores conuenit. ſed cùm Platina Ioannis V. Summi Pont. acta, Ioannis Epiſcopi Bergomatis dignitate honeſtata referat, in temporum ratione erratum eſſe puto. nam Ioannem V. anno Dclxxxv. Pontificem renunciatum ſcriptores produnt. quare ſi huic Pontificatui is Epiſcopus decori & ornamento fuit, Epiſcopi vitam longius productam eſſe neceſſe fuit. quòd ſi opinio mea interponenda eſt, non eo anno, ſed aliquanto poſt interfectum eſſe crediderim, atque eò magis quòd Alahis, a quo Cuni-

ni-

nipertus eſt pulſus, Ioannes Epiſcopus circumuentus, & Antonino Ioannis ſucceſſori Fara adempta, et ad Arianos auerſa, non anno D c lxxxij. ſed D c x c ij. tæterrimum hunc ſuperbiſsimumq. dominatum orſus eſt. ſi hoc obſcurum, at illud perſpicuum, quòd quò carior acceptiorq. Bergomatibus Ioannes erat, eò acerbior eius mors omnibus fuit, diutiſsimeq. vrbem luctus tenuit, & magnum viri deſiderium. Cùm ſancto Proiectitio in æde S. Alexandri a Catholicis & pijs hominibus honorificè ſepultus eſt, isq. diuina miraculorum virtute eluceſcit.

BEATI ADALBERTI EPISCOPI VITA.

C V M ſolenni ritu rem diuinam priſci patres faciebant, aut adipem ſolum, cum qui renibus coniunctus eſſet, tum qui ilia tegeret, in ſacrificio adhibebant, iecoriſq. reticulo & cauda tota addita Pacificorum victimam appellabant: aut cùm auguſtius ſacrificium apparare iubebantur, integras hoſtias in fruſtra ſectas immolabant, hiſq. incenſis holocauſtum ab re nomen dabant. hæc ſacra etſi iccirco ſuſcepta ſunt, ut meritus debitusq. cultus Deo tribueretur, tamen futuram quandam varietatem graduum, quos pij homines obtenturi eſſent, præmonſtrabant. nam pars illa extorum exigua, qua commune ſacrificium procurabatur, eos homines indicabat, qui etſi puro & religioſo animi ſtudio iuſtitiam & pietatẽ coluiſſent, ſummoq. modeſtiæ, abſtinentiæ, & beneficientiæ ſplendore vitam traduxiſſent: tamen ciuili inſtituto

ſuum negocium prudenter, vtiliterq. acturi erant. integra autem victima, qua res diuina magnificentius celebrabatur, eos deſignabat, qui contemptu rerum humanarum inſignes, ab omni corporis obſequio ſe abſtraxiſſent, cupiditatumq. & æmulationum expertes totos ſe in colenda religione, & contemplandis rebus diuinis poſuiſſent, vixq. quæ arctiſſima neceſſitas poſtulabat, ſibi reliquiſſent. Horum copiam non exiguam patria noſtra edidit, eorumq. res geſtæ plurimùm ad conſequendam cæleſtem gloriam nobis profuturæ ſunt. itaque primùm iuuerit, nonnullos ex ijs in medium proferre; deinde aliquorum mentionẽ facere, qui aduentu ſuo vrbem hanc nobilitarunt. virorum.n. ſanctornm commemoratione templa, quæ nos frequentamus, nobis magis religioſa erũt: tum loca ipſa, in quibus illi aliquando commorati ſunt, cùm grata recordatione in mente verſabuntur, & perinde ac ſi diuos ipſos præſentes intueamur, animis commouebimur. qua.n. de cauſſa plurimi pij homines ſuſceptis peregrinationibus, longinquam Hieroſolymorum vrbem Seruatoris noſtri morte inclytam adeũt: Romam Petri et Paul

li

li apoſtolorum, innumerabiliumq. aliorum nece memorabilem inuiſunt; aedesq. plurimas ſanctorum virorum inditijs, aut vetuſta habitatione, aut ſepulcris inſignes circumeunt? niſi quòd tanta vis admirationis ineſt in locis, vt quae fama celebrata ſunt ſanctorum facta, ea ijs ſpectādis mentis oculis facilius occurrant, magisq. ad imitationē eorum, & ad preces animis moueantur, quàm ſi eorum ipſorum aut facta audiant, aut ſcriptum aliquid legant. quòd ſi pietatis externae monumenta tantopere conducunt: nos domeſtica ornamenta negligere prope nefas ducemus. Antiquorū igitur patrū memoriam praeſentis lucubrationis lectione renouemus, et a B. Adalberto ordiamur. ab eo.n. pulcherrimum virtutis Chriſtianae documentum ſtatutum eſt: ac propterea tanquam in ſpeculum in eius vitam ſanctiſsimè actam inſpiciendum eſt: indeq. perfecti pietatis ſtudij perfecta forma ſumenda. Adalbertus patre Atone ex nobili Carimalorum familia Bergomi natus eſt. is cùm a puero incenſus eſſet ſtudio diſcendi ſic cùm in ijs artibus, quibus mentes ad humanitatem formantur, tùm in eloquentia proceſsit, vt dicendi et ſcri

DD ben-

bendi facultatem magnam ſit aſſecutus. Neque uero eorum ſententia improbãda eſt, qui ante quàm ſacras literas attingerent, ſe ad humanarum ſcientiarum cognitionem contulerunt: præſertim cùm id a ſanctiſsimis uiris factitatum eſſe acceperimus. nam, vt Baſilios, Gregorios, Auguſtinos, & plurimos alios prætermittamus, Moyſem in Aegyptiorum diſciplinis verſatum eſſe, & ob eam cauſſam facilius ueritatis lumen aſpexiſſe legimus. Danielem itidem Chaldaica ſapiẽtia inſtitutum ſe ſacris literis dediſſe non ignoramus. Quin quemadmodum qui pannos infecturi ſunt, curationibus aliquibus eos prius purgare et ad colores accipiendos præparare ſolent: tumq. pannos ſic colorem & purpureum et croceum, & quemuis alium ducere vt elui non poßit: ſic animos ijs diſciplinis, quæ ex poetarum, & philoſophorum, & rhetorum lectione percipiũtur, imbuere, et ſacrarum literarum exercitationi præmunire profuerit: quodq. cum hæreticis ſæpe de fide diſputandum erit, ad euellendas falſas opiniones, verasq. inſerendas hæc ſtudiorum ratio magnam utilitatem attulerit. At plurima contra fidem, contra verecundiam, contra pietatem,

con-

contra veritatem ſcriptores illi turpiter commenti ſunt. multa etiam temperantiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, virtutum denique omnium exempla in ijs licet intueri. apes imitemur oportet: quæ non omne arbutorũ genus in magna copia, neq. integros flores depaſcunt, ſed delibatis his, quæ ad cõſtituendi mellis vſum pertinent, ſe ad ſuos fauos contentæ recipiunt. & vt qui roſas carpunt, plurimum ſtudij ponunt, vt ſpinas, vnde roſæ ortæ ſunt, euitent: ſic nos ex his ſcriptoribus vtilia & ſaluberrima ſeligemus, turpiaq. et peſtifera aſpernebimur. Hoc eruditionis genere Adalbertus ornatus in ſacrarum literarum ſtudia ſe totum abdidit. Huc temperati moderatiq. & pij mores acceſſerunt. His virtutibus inſtructus tantam ſibi gratiam ab omnibus conciliauit, vt non multi ſic ab vno diligi poſſe videãtur, vt hic ab vniuerſis colebatur. quare Canonicus primò deinde Præpoſitus, poſt Archidiaconus lectus eſt: demumq. per hos honorum gradus, dato ſui documento ad epiſcopatus faſtigiũ aſcendit. in hac dignitate locatus id vnum ſemper ſpectabat, vt eorum, qui ſibi commiſſi erant, ſaluti conſuleret. ad impellẽdos, quò velis animos ora-

tio copioſa & ſtudii charitatisq. plena maximi eſt momenti & ponderis: ſed haud ſcio an beneficentiæ fama et liberalitatis opinione populi ad parendum præſidibus multò magis commoueãtur. quòd verò Adalbertus libentiſſimo animo cuiq. pro indigentia prædiorum fructus, quæ Epiſcopatui attributa erant, diſtribuebat, domusq. eius cõmune erat pauperum profugium: non modò apud ciues, ſed apud reges auctoritate & gratia plurimùm valebat. Anno D c c c xciiii. Vido Imperator inſtructo palàm exercitu Berengarium ſeniorem in aciem deſcendere & dimicare de regno, quod obtinebat, coegerat. eo prælio Berengarius fuſus ſuperatusq. regno ceſſerat, & ad vnicum rerũ ſuarum ſubſidium Arnulfum Germaniæ regem confugerat. ab eo in regnum, quod in ditionem imperiumq. Vidonis conceſſerat, reſtitutus eſt. Berengarius fidem Adalberti amplexus dignitati amplitudiniq. eius mirabiliter fauit. eius rogatu Sancti Alexandri templum inuiſit, honorificentiſſimisq. decretis et priuilegiis honeſtauit. interuallo annorum octo incenſa vrbe a Pannonibus, qui ſe in Italiã effuderant, monumenta tabulæq. in quas

ſun-

ſundorum emptiones et venditiones relatæ erant, perierant, & omnium iura perturbationes bellicæ miſcuerant. eam ob cauſſam in controuerſiam de poſſeßionibus ſæpe veniebatur. Adalberti monitu Berengario placuit ad tollendas lites edictum Bergomi proponi: vti qui vno tenore iuris ſemper vſurpato, nunquam intermiſſo, quod teſtium auctoritate præſertim vicinorum planum facere poſſent, aliquos agros incolumi re Bergomati poſſediſſent, vel ſe mercatos eſſe alicuius teſtimonio cōprobaſſent, in eorum poſſeßione permanerent. eodem ferme tempore nec opinata moles diſcordiarum Romæ exorta erat. duæ factiones populum Rom. deſtinebant. mortuo autem Stephano V. Summo Pont. ciuitas in duas partes diuiſa, altera pro Sergio Comite Tuſculano & Cardinali, altera pro Formoſo Portuenſi Epiſcopo ſummis opibus pugnabat. duo potentißimi Italiæ Principes ignem et materiam ſubdebant diſcordiæ. nam Vido Imperator Sergianam factionem fouebat, Berengarius rem ad Formoſum trahebat. tandem deiecto Sergio Formoſus Pont. renunciatus eſt. ſed qui plus iure, minus vi poterat, iccirco Formo

ſus

ſus ab Sergianis, qui negabant ſe eam lectionẽ, quæ ad gratiam & libidinem facta eſſet, ratam habituros, pulſus eſt. cùm Formoſus miſſis ad Arnulfum legatis, opem affectis ſuis rebus oraſſet, rex anno Dccc xcvi. in Italiam cum exercitu deſcendit, Formoſoq. Apoſtolicam ſedem & Pontificiam dignitatem recuperauit. Dum paucos menſes Arnulfus ſtabiliendarum rerum in Italia moratur, ab eo Adalbertus magnam gratiam morum ſanctitate inijt. Quæ Grimoaldus rex pro Ioannis Epiſcopi meritò Epiſcopatui adiecerat, quæq. alijs rationibus parta erant, non ſolùm ea Arnulfus rata ac firma eſſe voluit; ſed officijs & munificentia Epiſcopatus cenſum mirum in modum auxit, vrbemq. et agrũ Bergomatem poteſtati ditioniq. Epiſcopi ſubiecit. Agri fines Olio flumine ab Oriente, Abdua ab occaſu claudebantur: a Septentrione ad ſummas alpes Rhetiorum, et vallis, quam Tellinam vocãt, pertinebant. quæ pars ad meridiem ſpectat, vico, quem Caſale Botanũ dicunt, terminabatur. diploma in tabalario publico Bergomati exſtat, quo, anno M x l vi. huius tanti muneris poſſeſſio Ambroſio Epiſcopo rogan

ti

ti ab Henrico II. confirmata eſt. omnia tum in Dei honore animarumq. ſalute ab Eccleſiæ præſidibus ponebantur. labori ac negocio nõ emolumento & quæſtui rerum ſacrarum procurationes erãt: non modò nihil de illis auidum, nihil ſordidum audiebatur. ſed quò facilius egentium neceßitati largè ſubueniri poſſet, domeſticæ parſimoniæ magnus honor fuit. eam ob cauſſam regum copiæ illis patebant; pecuniæ ingentes a priuatis conferebantur: ab omnibus gratia, auxilio, obſeruantia digni putabantur. Quòd verò iis temporibus, quæ ſubſecuta ſunt, mores ad immodicas voluptates cupiditatesq. incubuerunt, & quæ in alendos pauperes eroganda erant, ad fouendos ſenſus, coaceruandasq. pecunias multi abuſi ſunt: minimè mirandum eſt antiquam illam principum & reliquorum liberalitatem refrixiſſe, idq. periniquo animo ferẽdum, & ſacerdotes ab antiquo pietatis charitatisq. ſtudio deflexiſſe, & cæterorum animos ſic abalienatos eſſe, vt non modò in largiendo reſtrictiores ſint, ſed etiam ſacerdotes quotidianis ſermonibus carpant, & ſæpe quæ templis conſecrata ſunt, eripere conentur: ſed omißis querelis, quæ etſi neceſſariæ

ſunt

ſunt, tamen nihil proſunt, quod inſtituimus perſequamur. Re Bergomati conſtituta Adalbertus omni cura vrbem deſertam, ac ſtratam ruinis & incendijs reſtituere eſt aggreſſus, primùm omnium templum S. Alexandri, ſumma diligentia, ſed forma anguſtiori reficiendum curauit: tecta deinde & muri qui diſiecti & vaſtati erant ædificati: ciues fuga ſparſi reuocati. pecore inſuper direpto, villis dirutis aut incenſis, veteribusq. cultoribus bello abſumptis, noui coloni, ſpe commodorum propoſita, ad colendos agros adſcripti: omniq. ratione & vrbs et ager frequentari cœptus eſt. Canonici conquiſiti & contracti veteres ritus obire & canonicales ædes, quæ templum attingebant, habitare, victumq. communem & vitam colere iuſſi ſunt. Hæc cõmunis vitæ ratio a S. Proiectitio inchoata, & a B. Adalberto longo interuallo reſtituta vſque ad annum M x ij. permanſit. tum Reginfredo Epiſcopo, exorta inter Canonicos diſcordia, cùm non tam Eccleſiæ prodeſſe videretur, quod vnà viuerent, quàm obeſſe, quòd alter ab altero diſſideret, optimum viſum eſt bonorum fructus, qui familiarum inſtituto Canoni-

cis

cis communes erant diuidere, & in ſingulos, qui templo inſeruirent, prout a quoque opera nauata erat diſtribuere, quæq. inter eos coniuncta erant, priuata ratione adminiſtrare. vt hæc diuiſio exitialis Bergomati Eccleſiæ iudicata eſt: propterea quòd ſeparatis conſilijs, quod publicum munus poſtulabat, minus diligenter præſtaturi erant: ſic ea, quam dicturi ſumus, non incommoda neque indecora extitit. Templum S. Alexãdri ſitum erat in tumulo ad occidentem hyemalem vergente: quæ pars vrbis ædificijs infrequens eſt, & ab Epiſcopi domicilio, lociſq. quæ frequentiſſimè habitantur, remotior: ob eam cauſſam ciues & mane & veſpere ad ſtatas preces ſacrificiaq. minus facile, minuſq. expeditè conuenire poterant. quòd vero neque locum antiquiſſimum, & multorum ſanctorum corporibus ibi conditis inclytum deſeri placebat, & ſuæ populiq. commoditati Adalbertus conſulere ſtatuerat, non incommodum viſum eſt Canonicorum collegium quod ex xl. viris conſtabat, in duas partes diuidere, Præpoſitoq. & Canonicis xvij. templum vetus colendum & tuendum relinquere; Archidiaconum & reli-

quos Canonicos ad aliam ædem, quæ in vmbilico vrbis ſita erat, traducere. Hæc prius S. Agneti dicata erat. Berengarij ſenioris rogatu S. Vincentij martyris nomine, quem ſibi patronum is delegerat, Deo conſecrata eſt. His rebus anno DCCCCVIIJ. conſtitutis, conſultum ac prouiſum eſt, ne qua ſimultas, ſublata conſuetudine, hanc partitionem ſequeretur. nam & ſi Canonici locorum interuallo diſiuncti duobus templis inſeruiebant: tamen conſtitutum eſt, vt vnum vtrorumq. collegium, vna Eccleſia cathedralis & appellaretur, & eſſet. bona vnde ferme diſsidia oriri ſolẽt, vtriq. parti æqualiter diuiſa. ſancitum vt, ſupplicationũ, quæ Dei & ſanctorum auxiliũ imploran do & circumeundo fiunt, ſiue ſtatis, ſiue extraordinarijs diebus decernerentur, initium a S. Vincentij templo ſumeretur. eò propter loci opportunitatem, cùm de communi re agendum eſſet, conuentus indicerentur: ibidem noui Canonici in demortuorum locum cooptarentur: vt quiſque primùm in collegium venerat, ſiue huic, ſiue illi ordini adſcriptus eſſet, ita is honeſtiorem apud vtroſque locum obtineret. Archipresbytero utri liberet

adi

ædi inſeruiendi poteſtas facta. ſub diem feſtum S. Alexandri propter Murgulam amniculum (locum Curtem appellabant) mercatus frequens celebrabatur: a mercatoribus, qui eò ventitabant, pecunia haud exigua capiebatur. ea Epiſcopatum Bergomatem gerentibus a Carolo magno antiquitus conceſſa fuerat. Hæc ab Adalberto ad S. Vincentij Canonicos trāſlata eſt ea lege, vt præſcriptis quibuſdam diebus dominicis et ſextis ferijs, vſitato ordine procedentes, prælata crùce, ædem S. Alexandri adirent, precibuſq. intereſſent. ſanctarum etiam reliquiarum in primis ab eò habita cura. SS. Narni, & Viatoris corpora in S. Petri ſacello diutiſſimè ſepulta iacuerunt. Hæc Adalbertus in S. Alexandri ædem trāſferēda curauit. In ea parte templi, quæ ad orientem ſolem ſpectat, altare maius opere magnifico extructum erat, parieteq. circumſeptum. ibi Canonici cùm ſtatas preces & laudes diuinas recitabant, verſabantur, chorumq. appellabant. ſub hoc altari alius locus in altitudinem pedum ſeptem depreſſus erat, & fornicatus, quadragintaq. pedes in latitudinem, in latitudinem ſeptem pa-

tebat. is appellabatur confeſſio. ibi ſanctorum virorum reliquiæ Berengario rege ſumma cum veneratione tranſlationem celebrante recōditæ ſunt. in dextero latere Narnus collocatus eſt; in ſiniſtro Viator. Patronus rerum & cuſtos S. Alexander medium locum obtinuit. neque caſu et temerè ab Adalberto, ſed ratione et conſilio hoc factum videtur: nam cùm illi lenius et ſæpe clādeſtinis conſilijs agendo fidei chriſtianæ terminos latius protuliſſent, & nonnunquam in montanis & remotioribus locis delituiſſent; hic palàm & fortiter acerrimèq. certando plurimos Chriſto peperiſſet: honeſtiore loco, meritiſſimò dignus habitus eſt. quòd is locus ijs et alijs multis refertus fuit ſanctorum reliquijs, omnibus circa populis ſanctus erat & religioſus. cùm ardentiori ſtudio Bergomates opem a Deo expoſcebant, eò deſcendere conſueuerunt. nonnunquā etiam horum corporū reliquias detexerunt, ſed tum præcipuè cùm aut nimia ſiccitate, aut aſſiduis imbribus vrgebantur: plurimūq. ad impetrādam temporū mutationem valere perſpectum eſt. ægris item plurimis in ſpe dubia ſalutis opem tuliſſe creduntur, & in votis precibuſq.

occur-

occurriſſe, multisq. alijs clari ſunt miraculis. His rebus Bergomi geſtis, Adalbertus cùm iam extrema ſenecta eſſet, deceſſit anno DCCCCXXXV. Idibus Nouembris, & in æde S. Alexandri ſepultus eſt. Bergomati Eccleſiæ annos quadraginta Adalbertus præfuit cuilibet ſuperiorum Antiſtitum, regendarum animarum artibus & charitate par: ita, vt bono moderatoq. ſuccedenti Epiſcopo difficilis æmulatio eſſet. eo etiam nomine clarus fuit, quòd magnorum Principum audaciæ ac cupiditati conſtantiſſimè reſtitit. bella item maxima & crudeliſſima, eo reconciliatore, ſedata ſunt, & magnæ controuerſiæ ſublatæ. Quibus rebus Bergomates permoti eum in numero ſanctorum habituri erant. id cùm Adalbertus morbo affectus agi ſenſiſſet, quicquam de ſe tale conſtitui, pœna anathematis propoſita, prohibuit. mandauitq., vt quæ preces pro ijs fidelibus adhibentur, qui aut leuioribus peccatis aſperſi moriuntur, aut non perſoluta, quæ a ſacerdotibus impoſita eſt, ſatisfactione, hæ quoque pro ſe fierent. in veſtibulo Templi tabula marmorea poſita fuit. in ea Adalberti erat effigies antiquo opere &

exi-

eximia arte perfecta, quæ Epiſcopali habitu atq. veſtitu & oris lineamentis Adalberti corporis formam præclarè referebat. In eadem tabula hi verſus erant inciſi:

Quiſquis Alexādri properas ad limina ſancti
Semper Adalberti præſulis eſto memor.

BEATI ALBERTI ABBATIS VITA.

SVmmus ille Patriarcha Iacob, vt paternam hæreditatem adiret, maioris fratris Eſau perſonã ſuſcepit, ſumptoq. eius ornatu, & pelliculis hœdinis protectis manibus & collo, ſe in eius formam conuertit. Iſaac obſequio filij & dulcedine quadam pietatis mirifica commotus non ſolùm eum amantiſſimè oſculatus eſt, ſed illas voces plenas paterni ſtudij, plenas inſitæ charitatis miſit: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. inde benedictionem impertitus, eum hæredem inſtituit. Hæc iccirco diuino conſilio ita geſta ſunt, non ſolùm vt magnus ille vir hæreditatem illam teneret, ſed etiam vt tacitis rationibus nobis inſigne documentum daretur, qui æternæ gloriæ hæreditatem obtinere ſtudeat, ei veteris hominis imagine depoſita, principis illius

fra-

fratris Chriſti formam eſſe induendam, & qui geſsit imaginẽ terreni, ei cæleſtis imaginem gerendam eſſe. quod ſi feciſſet, ſuauiſsimas illas ſummi Patris voces meritiſsimò auditurum eſſe: Euge ſerue bone et fidelis, intra in gaudium domini tui: Quod verò beatus Albertus renouatus eſt in nouitate ſenſus ſui, & nouum hominem induit, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis: eius res geſtæ dignæ viſæ ſunt, quas memoriæ proderemus. quas ſi attentè tanquam vitæ Chriſtianæ ſimulacrum intueamur, eius viri exemplum nobis proponi intelligemus, cuius in perſona Deum, quantum mortales poſſumus, imitemur.

Albertus honeſto loco Bergomi natus eſt. parens vterque deceſsit, eo admodum paruo relicto. quòd qui conſilij & ætatis imbecillitatem regerent, deerant, liberiore quadam licentia nulli officio & diſciplinæ aſſuefactus eſt. cùm iam pubeſceret, inquietus & cum animi indole tum corporis viribus ferox militari arti ſe dedit. nullum tamen crudelitatis, nullum auaritiæ, aut ſuperbiæ, nullum in eo intemperantiæ veſtigium, quæ res inuiſos

uiſos & intolerandos facit milites, perſpectum eſt. Quòd verò & vigilias & cuſtodias & ſtationes impigrè obibat, edictaq. Imperatorum obedienter ſeruabat, & cum in pugnam erat deſcendendum, magna alaritate manum cõſerebat, nec erat alius iuuenis, cuius ſtrenuè & ſorociter facta in bello plura memorari poſſent; magnam in re militari laudem adeptus eſt. is cum aliquando ſerotius, quàm conſultius in prælio verſaretur & pugnandi ſtudio intemperantius ſe in mediam dimicationem intuliſſet, magno & graui vulnere accepto, ex prælio in caſtra relatus eſt. ibi aliquandiu dubia et periculoſa curatione retentus vouiſſe dicitur; ſi conualuiſſet, ſe vitæ religioſæ rationem ingreſſurum. Impetrata ſanitate, quod vouerat perſoluit: inde Henricum quendam Cremonenſem ſumma religione præditum, piorum ſtudiorum laborumq. ſocium ſibi aduinxit, & ad Hieroſolymorum vrbem peregrinationem vnà ſuſcepit. Inſideles, qui eas regiones occupauerant, tunc armis inter ſe diſsidebant, & mutuis vtrinque cædibus ſæuiebant, excurſionibuſq. & latrocinijs ea loca infeſta reddiderant. quare cognita Alber-

FF tus

tus iter in Hiſpaniam auertit, et S. Iacobi Apoſtoli reliquias, quæ Compoſtellæ reconditæ ſunt, inuiſit. eas ſanctiſſimè veneratus in patriam reuerſus eſt. patrimonio in duas partes cum fratre diuiſo, nonnulla prædia Pontidæ poſita Alberto ſorte obtigerunt. Is vicus in valle agri Bergomatis, quà in occidentem ſpectat, non magna adiecta planitie, ſitus eſt. à flumine Abdua mille & quingentos paſſus diſtat. ſaltus tum erat totus fermè vaſtus & ſylueſtris, et a perditis & facinoroſis hominibus, qui rapto viuebant, obſidebatur. nunc cultorum diligentia & ſtudio fertilis & fructuoſus eſt. à ſeptentrione et oriente æſtiuo colles terrenos placidè accliues habet, ſuauiſſimiq. vini adeo feraces, vt nihil nec vſu vberius nec ſpecie lætius eſſe videatur: à meridie editi montes veſtiti denſiſſimis caſtaneis obijciuntur. ad hanc fœcunditatem amœnitatemq. ſumma cæli ſalubritas accedit, locuſq. ſolitudinem & receſſum quærenti maximè opportunus exiſtimatur. ibi Albertus primò humile & paruum Oratorium, vt ſunt fermè rerum initia, conſtruxit, inde erogata a pijs hominibus pecunia, magnificum templum condi-

dit.

dit. ipſe magnam patrimonij partem in vſum & ornatum templi contulit. Tria fermè ſunt, quæ vitæ religioſæ & perfectæ rationem ingredientibus viam difficiliorem impeditioremq. efficiunt, cognatorum charitas, qui quò in eos indulgentiores obſequentioreſq. ſunt, eò ægrius ab his diuelluntur: fortunarum copiæ, quæ quò plures et maiores commoditates ad victum cultumq. ſuppeditant, eò magis paupertate terrentur: rerum arduarum futura perpeßio tertia eſt. magna enim illa mutatio cuiq; horrori eſſe ſolet, cùm a delicijs ad pugnas, à profuſis epulis ad ieiuniorũ aſperitatem, à molliore mundioreq. cultu ad obſoletiorem horridioremq. cilicij habitũ, a carnis illecebris ad mortis meditationẽ tranſeundum eſt, & depoſito propriæ voluntatis imperio, alieno arbitrio viuendum. At Albertus tanta magnitudine animi ſe a cognatorum obſequijs blanditijſq. quas diaboli illecebras ducebat, quibuſq. uiam quæ, ad Deum fert, impediri intelligebat, ſeiunxit, ut in cœtum angelorum adſciſci ſibi videretur. ea autem ſpe ſe paternis auitiſq. bonis exuit, ut quæ in ſinu pauperum ornamentiſq. templi collocaret, ea multiplici cum

fœnore a Deo ſe recepturũ conſideret, neque dubitaret, quin anguſta ampliſsimis, caduca ſempiternis, humana diuinis immutaret. cùm accepiſſet item cælorum regnum a violentis rapi, violentiæq. nomine ſitim, frigus, vigilias, certamina, afflictationes, quas quis pietate adductus perferret, deſignari, eò ſummæ omnis cura verſa eſt: eaq. viri virtus, atque ea præſentia animi fuit, vt præ ardore & ſtudio cæleſtis regni obtinendi dolorum, laborum difficultatumq. omnium ſenſum a corpore prorſus amitteret. Celeriter tantæ virtutis fama non modò ager Bergomas, ſed etiam tota Gallia Ciſalpina repleta eſt, magnaq. multitudo virorum honeſtiſsimorum ornatiſsimorumq. qui æternæ ſaluti ſtudebant, & ex vrbe et ex agro ad eum ſe congregauit. breui cùm ad centum conueniſſent, ſe omnes in diſciplinam Alberto tradiderunt, euangelicaq. præcepta & inſtituta, Alberto auctore & magiſtro obſeruarunt. hoc pacto qui locus latebræ & receptaculum latronum fuerat, piorum virorum & Deo ſe dicantium refugium & portus factus eſt: deinde vbi homines circumueniebantur, ſpoliabanturq., ibi afflictis paupe-

rum

rum fortunis certus receptus eſt conſtitutus: denique vbi ſceleſtiſsimi homines cruentis manibus & multis cædibus infames, Deiq. & ſanctorum virorum contemptores verſabantur, & vocibus deplorantium ærumnas omnia perſonabant: ibi viri innocentiſsimi & religioſiſsimi, officijq. & charitatis pleniſsimi diuinas laudes celebrarunt, inopeſq. miſericorditer habiti & benigne accepti Deo gratias egerunt. & ſi Albertus apud ſuos vim legis obtinebat: tamen, ne ipſe eiuſq. ſodales in colenda religione aberrarent, aliquam formulam, quam vno conſilio, vnoq. animo ſequerentur, ſibi conſtituendam duxerunt. Conſuetudo & leges Cluniacenſis ordinis, qui virtutibus diuinis florebat, maximè probatæ ſunt. erat tum inter Cluniacenſes patres Hugo vir grauiſsimus conſultiſsimuſq. omnis diuini atque humani iuris, nemoq. illa ætate venerabilior, nemo ſanctior habebatur. miſsis ad eum literis Albertus magnopere contendit, vt aliquem ad ſe mitteret, qui inſtituto a ſe ordini leges conſcriberet. Vitus doctrina ingenio, pietate & auctoritate præſtantiſſimus cum duobus monachis miſſus eſt. is de Al-

ber-

berti ſententia eas leges dedit, quas ne vſus quidē longo tempore experiendo reprehenderit. ijs sūma cura, & conſentienti animo, à patribus illis, qui eò conuenerant, obtemperatum eſt. Vitum haud ita multo poſt, morbus extinxit, ſeq. id temporis moriturum multis ante prædixit. Interim ſatis longo interuallo cùm Hugo in Italiam ſe contuliſſet, Albertum adijt. eius cæterorumq. vitæ ratione diligenter perſpecta Cluniacenſium habitum conceßit, & in parem iuris inſtitutorumq. condicionem atque alij erant, accepit, Albertumq. Abbatem præfecit. is honor non in beneficij loco, ſed in laboris ac muneris ei delatus eſt. eā ob cauſam quòd ingens onus tali de ſe iudicio ſibi iniungi intelligebat, annitendum exiſtimauit, vt ſi quid laboris, vigiliarum & charitatis adijci poſſet, eam exiſtimationem, quam peperiſſet, conſtantem efficeret. itaq. in eo munere non ſolùm animis ſed etiam oculis eorum, qui ei commißi erant, ſeruiebat, omniaq. circumſpiciebat, quæ Chriſtum ſequentibus exemplo & præſidio eſſe poſſent. atque vt bonorum præſidum nomine dignum eſt, benefaciendo potius quàm adhortando

ſuo-

ſuorum ſtudia accendebat. Peregrinos hoſpitio excipiebat, nudos veſtiebat; corpori ac neceſſarijs vſibus crebrò detrahebat, quod in pauperes erogaret, ſeq. eſurire, quàm alios ſame premi malebat, & Pauli more eſuriendi & exſatiandi ſe, abundandi & penuriam patiendi rationem optimè tenebat. ob eam cauſam egentium parens haud vana laude appellatus eſt: meliorem præterea veſtitum, meliora iumenta, ſi quò erat iter faciendum ſocijs concedebat; & quibus carnem fraudabat, ijs ſpiritum exultare & magnopere frui putabat: tum miſericordiam & benignitatem per ſe gratam comitate & affabilitate adiuuabat, grauitatemq. multis condimentis humanitatis mitigabat. id illi inſitum fixumq. erat, fieri non poſſe, vt quis præſentibus voluptatibus frueretur, & æternis iucunditatibus potiretur, et in vtraq. vita beatus, in vtraq. felix nominaretur. quare prouidendum exiſtimabat, vt reijciendis præſentium commodorum rationibus maiora alia adipiſceremur, & perſerendis in hoc mundo moleſtijs, horridiores aſperioreſq. in alia vita dolores repelleremus. Tranquilla hæc & ſecunda rerum

diui-

diuinarum exercitatio magna perturbatione prope fœdata eſt. æquis iniquiſq. perſuaſum erat, virum in Eccleſia Alberto parem vſquam ea tempeſtate eſſe neminem. eius pietas eius charitas & religio, eius prudentia in vrbe, in agro celebrabatur. Arnulfus Epiſcopus, tum Eccleſiam Bergomatem adminiſtrabat, qui pelle ouina ſpecioſus introrsũ immanitatẽ lupi gerebat. is Alberto honoribus virtutibuſq. eximio inuidere cœpit. inuiſũ ei erat Alberti ingenium, qui procul aberat ab omni aſſentationis genere, et ſæpe pro gratis vera loquebatur: ægrè ferebat huius tantum eſſe nomen, vt eius laudes omni populo in ore eſſent: tantarumq. virtutum magnitudo & ſplendor epiſcopali dignitati maximè officere videbãtur. Vera illorum ſententia eſt, qui cæcam eſſe inuidiam tradidere. virtus enim non inuidia ſed imitatione digna eſt; certamenq. eſſe debet, non ut uitijs cum uirtute contendatur, ſed ut uirtus uirtute uincatur. ſed inuidi nihil aliud ſciunt, quàm aliena obtrectare et reſiſtere uirtuti, & quantum in illis eſt, bene inſtituta opera corrumpere. Hoc peccati morbo Arnulfus laborabat. ob eamq. cauſam

Al-

Alberto erat inſenſus. ea item re maximè exacerbatus eſt, quòd iniurioſè ſacerdotem quendam pium et Alberti neceſſarium in vincula duci Epiſcopus iuſſerat. quo cognito Albertus Bergomum accurrit, & carcerem ingreſſus prius inde extrudi nō potuit, quàm ſacerdos emiſſus eſt. auerſiſſimus hic Arnulſi animus Albertum non fallebat. quare cùm templum, quod ædificauerat, cōſecrandum curaret, magnis precibus a ſummo Pont. Vrbano contendit, vt cui vellet epiſcoporum externorū hoc onus imponeret. is labor Otryco Epiſcopò Hymolæ, qui ad concilium, quòd Placentiæ habebatur, conuenerat, delegatus eſt. lætis alijs hac re impetrata, Arnulfus magnā inuidiam triſtitiamq. præ ſe tulit: nam cùm Otrycum Pontidam perueniſſe, ei renunciatum eſſet, fremens ira perinde ac ſi omne ius epiſcopatus ereptum eſſet, caterua ſuorum ſtipatus Pontidam præcipiti celeritate aduolat, accitoq. Alberto, quid hoc inquit, Alberte, rei eſt? qua audacia alios, qui meo munere fungerentur, accerſere, meq. mea adminiſtratione excludere auſus es? ſatiſnè idoneus tibi videor, in quem illiberali & ſimulato animo ſem-

per illudas? malis iſtis tuis conſilijs pares exitus iam iam ſequi videbis. is erat Albertus, qui nec rebus ſecundis efferretur, nec frangeretur aduerſis. quare fiducia innocentiæ nixus Epiſcopum immeritò ſibi eſſe iratum reſpondet: tantam eius eſſe auctoritatem ſe cupere, quanta maxima vlla in diœcſie vllius Epiſcopi eſſe poteſt. neque ſe tam imperitum eſſe rerum, vt eum ſibi inimicum deſumere vellet, cuius amicitiam alij expeterent. ſed quòd parùm aliàs ſibi cum eo conueniſſet, exiſtimauiſſe in hoc quoque, quod ipſe maximè optaret, diſcordes fore. non contemptu, qui et ſuæ conditionis et alieni iuris meminiſſet, ſed vitatione certaminis religioſis parum decori hoc accidiſſe. quò confugiſſe? quò ſæpe item alij, quibus aduerſus potentiores parum virium eſſet. Summi Pont. tantam eſſe in terris poteſtatem, vt Chriſti perſonam gereret, ſummæq. & diuinæ illius auctoritate reliquarum Eccleſiarum auctoritas niteretur. hunc, qui certo iudicio omnia ponderaret, cui ſolutiſſima eſſent omnia, hoc conceſſiſſe. debere illum in eius decretis acquieſcere, cui totus terrarum orbis obtemperet. Hanc orationem Epiſcopus

pus interrũpit, adeoq. atrociter in eum inuehitur, vt ne manibus quidem hũc temperaturũ eſſe appareret. magna multitudo conuenerat, magna erat eius rei expectatio, omniumq. accenſi animi ad defendẽdum viribus ac iuſta ui Albertum: ſed omnia prius conſilio experienda, quàm vllo certamine cenſebant. Quare Epiſcopum circumſiſtunt, miſcendoq. conſilium & preces eum nunc obteſtantur, vt modum iræ faciat: conſilio det tempus & dolorem deprecantibus permittat: nunc monent, ſi Summi Pont. auctoritati reſiſtat, eam rem in caput ſuũ verſuram. boni conſuleret, quod Albertus feciſſet, verecundiæq. potius, quàm ulli malo conſilio adſcriberet. nihil præterea laudabilius, et præclaro viro dignius placabilitate: alere iras et inimicitias exercere, cum omnibus turpe, tum religioſis & religioſorum Antiſtitibus, qui alios à contentionibus auocare debent, nefas eſſe. cur ipſi aliorum exemplo peccarent potius, quàm alij eorum exemplo rectè agerent. quid? Nihil Albertum ſcientem deliquiſſe ſe pro certo habere. quòd ſi quid imprudentia lapſus fecerit, hoc ne illud eſſe quod a Paulo præceptum ſit, qui præoccupatos in

aliquo delicto in ſpiritu lenitatis iubet corrigi & emendari? hoc qui religionis cauſa eò acceßiſſent referre domum? hoc vulgari? hos homines pios audire? hoc improbos? quo cum gaudio hos? qua cum dolore illos? cum plura in hanc ſententiam dicerent, & oſtenderent, quicquid irarum, quicquid ſimultatum inter principes religionis eſſet, id in exitium verti populorum, Albertus interim in templum ad orationẽ, qua plurima alia conſecutus erat, confugerat: & illis inſtantibus monentibusq. et hoc Deum ſuppliciter orante contentionibus finis impoſitus eſt, datiſq. dexteris omnibus collaudantibus ex Sum. Pont. decreto, magna hominũ frequentia & ſtudio conſecratio perfecta eſt. Vt Albertus fauentium multitudine quàm parta victoria felicior dicebatur; ſic Epiſcopi intolerandam ſuperbiam ſæuitiamq. Deus haud diu inultã eſſe paſſus eſt. nam non longè poſt coacto Mediolani concilio, Epiſcopo crimini datum eſt res ſacras quæſtui habuiſſe. cùm non ſolùm non ſe purgaret, ſed etiam confeßione ſua vrgeretur, damnatus eſt, eiq. Epiſcopatus abrogatus. Interim Albertus ſic finitimas ciuitates fama pietatis ſuæ impleuerat,

rat,

rat, vt apud fideles in nullo alio ſpes maior diuinæ opis adipiſcendæ poneretur. id indicio eſt. Lotarius Galliæ rex cùm Thebergam Huberti Abbatis ſororem connubio ſtabili haberet, captus amore Vuldradæ cuiuſdam contra ius faſq. ſe in eius conſuetudinem immerſerat, remiſſoq. Thebergæ nuncio, eam deſeruerat. libidinem ſuam excuſabat, quòd repentino quodam timore ictus Thebergam duxiſſet: cæterum Vuldradam, cui omni pauore ſolutus ac liber ſe iunxiſſet, ueræ coniugis locum tenere. Theberga quidem viri diſſidio angebatur, & non modò tam fœda & indigna ab Lothario ſe paſſam eſſe querebatur, ſed etiam querelas ad Nicolaum primum Summũ Pont. detulit, à quo Lotharius grauiſſimis verbis obiurgatus eſt. Cæterum Theberga vbi nihil iis rebus profici poſſe intellexit, aliquò ab oculis viri concedendum rata, ſe in Italiam contulit. depoſita regia pompa & ornatu comitatuq. ad priuati mediocriter locupletis habitum retento, primùm Mediolani conſtitit. Hanc eſſe eam Thebergã de qua in decretis a Quintiano collectis agitur quidam ſcripſere. ſicut res proditur, ne cui auctorum fides abro-

abrogatur, ita à nobis expoſita eſt. hæc eò dicuntur, quòd notatis temporibus & hominum ætatibus collatis, nonnihil ambigi pōt. Ego hanc rem neq. opinione mea pro uera affirmare, neq. pro falſa prætermittere auſus ſum. ſed ſiue hæc eſt. ſiue alia, probatiſsimā quidē mulierem et magno pondere auri, rebuſq. alijs ornatā & copioſam fuiſſe cōſtat. Hæc celebritate famæ Alberti adducta & Agilberti Archiepiſcopi hortatu Pōtidam ad Albertū venit. Mulieris expectationem viri admiratio ſuperauit, itaq. ſpectata Alberti pietate, & mirifica eius in pauperes, ægros, viduas pupillos, alioſq. egētes miſericordia et liberalitate ſic cōmota eſt, ut tēplū, quòd S. Egidio dicauit, et Cœnobiū, quod poſteri Fontanellæ nōie appellarūt, extruxerit: vbi, qui ſe à mūdo ſeiunxiſsent, in tranquillitate pia vitam degerēt. ibi & multi Monachi vitam ſanctiſsimè egerunt, & ipſa poſt interitum nobili ſepulcro condita eſt. verum Albertus non ſolum ad excitandam pietatem magnorum principum, & reliquorum conciliandum amorem vim maximam habuit, ſed etiam prophetiæ dono maximè præſtitit, vnuſq. diuino afflatu & vera prouidere, & certa

præ-

prædicere viſus eſt. multæ item controuerſiæ eo arbitro tranſactæ ſunt, & formidoloſiſſima bella ſedata. ſi qui vero icta fœdera, quorum auctor ille fuerat, violare auſi ſunt, meritas pœnas dedere; & quorum fidei Deus teſtis fuerat, mox perfidiæ vlter extitit. foris præterea ſe ſtudioſè ad pietatem exercuit: tres enim quadrageſſimas ſanctiſſimis factis Romæ traduxit: loca ſanctorum reliquijs nobilitata inuiſit: ſæpe item in ſacris ædibus pernoctauit. Albertus tandem cùm et ſummis viris gratus eſſet, & longè ante alios acceptiſſimus pauperum animis, vita ſanctiſſimè acta, immortalibuſq. editis operibus, in beatorum ſedes conceſſit, anno a partu virginis Mxcv iiij.non. Sept. & in templo quod extruxerat, ſepultus eſt. eius mortem in conſpectu Dei precioſam fuiſſe, crebra teſtata ſunt miracula. Interiecto deinde Cclxxvij. annorum ſpacio, eius loci incolæ, qui Barnaboni tum Bergomatibus imperitanti inſenſi erant, Ambroſium eius filium ex concubina genitum, inſidijs collocatis adorti fœdè trucidarunt. Quo facto, quòd intelligebant quantum facinus commiſiſſent, pro magnitudine periculi defenſionem, parare cæperunt, templumq. S Iacobi occuparunt &

amicorum præſidio & armis firmarunt, tum opere tumultuario arcis in modum munierunt. pater interfecti filij iniuria accenſus partem ſuarum copiarũ, quæ templũ expugnarent miſit. His Anotũ Vicecomitẽ, Paganinũ Panicũ Bononien. Nicolaum Tertiũ Parmen. præpoſuit. ij circũiecta tẽplo multitudine, id magno impetu oppugnare aggreßi ſunt. Pontidẽſes duce Clerico Caprinati Tedeſchi filio, quẽ ſibimetipſis præfecerãt, ſe primo cõſtanter tutabãtur, totũq. quatriduũ impetũ hoſtiũ fortiter ſuſtinuerũt: ſed cũ magnis tormẽtis muri quaterentur, et ex paucis quotidie aliqui eorũ caderẽt, amiſſisq. duob⁹ monachis et Nantellino Riuola, Gulielmo Colleone, Simone Brolo viris inſignib⁹ occiſis, qui ſupererant, feßi et corporibus et animis eſſent, pacti, ut inuiolati abirẽt, ſe dediderũt. promiſſũ id facilius, quã præſtitum. oẽs cõtra interpoſitã fidem interfecti ſunt. templũ direptũ, et incenſum, prædæ rerũ agreſtiũ actæ, vineæ cæſæ, frumentaq. deuſta; nulla felix arbor, nihil frugiferũ in agro relictũ. oĩbus ferro et igne vaſtatis, Brachiũ S. Iacobi apoſt. quod magna cũ ueneratione ibi aſſeruabatur, Mediolanũ aſportatũ eſt. B. Alberti corpus Bergomũ tranſlatũ, et in æde S. Mariæ maioris collocatum.

DE ADVENTV SS·DOMINICI ET FRANCISCI IN VRBEM Bergomum, & eorum vita.

VErè ingens illud incommodum deploremus, et conqueramur licet, quod tum acceptum eſt, cùm primus parens ſpe falſa & fallaci, pomo vetito veſci auſus eſt. nam præter alias clades, quæ conſecutæ ſunt, quemadmodum anima a Deo defecerat; ſic caro, quæ tanquam ancilla & pediſſequa animæ imperio ſubiecta erat, a domina deſciuit. Hinc exitioſiſſimum id bellum inter ſpiritum & carnem exortum eſt, quod nulla pacis condicione dirimi poteſt: victoria enim non pactione pacem pariendam eſſe conſtat. cùm hoſte infido res eſt: caput illud fraudis tanquam per feneſtras ſenſuum in arcem acceptura eſt, ni excubetur. voluntatem reginam illam rerum agendarum ita ad defectionem quotidie ſolicitat, vt quod vult, bonum, agere non poſſit. intellectus vires, quo Dei cognitio ni-

titur, labefactare conatur; tumq. ſibi artificio antecellere videtur, cùm Dei legi maximè reſiſtit. ſocias ſibi ad id bellum ſuperbiam, luxuriam, auaritiam, furtum, iram, flagitia omnia adſciuit; voluptatum legiones, quas ſibi maximam manum & certiſsimam fore putat, adiunxit. harum duces inſaniẽtes amores, et flagitiorum leuitatiſq. auctores decernit. ſpiritus ductu & auſpicio contra has copias virtutum phalanx educenda eſt. ita verò acies inſtruatur, oportet, vt ſalubri ſui odio cum amore ſui concurrendum ſit. pietas deinde cum impietate, continentia cum libidine, inuidia cũ charitate, pudor cum turpitudine, rerum diuinarum contemplationes cum iocis ac luſibus, denique lex mentis cum membrorũ lege confliget. Iam ſpiritum & carnem ſuos quenque cohortantes licebit cernere. Hæc mollem et otioſam vitam plenam confertamq. præſentibus voluptatibus; ille curas, labores cruciatus & moleſtias ſempiternam felicitatem allaturas oſtẽtabit. ſi ſignis collatis ſegnius prælium ineatur, celeriter tota turbabitur virtutum acies: ſin animo acri & præſenti pugnetur, non modò ſingulæ virtutes, ſingulorum vitio-

rum

rum ſtragem edent, ſed imbelles & ſemiſopitæ voluptatum copiæ ab vna ſobrietate ſundentur. Inſignis erit opera caſtitatis, quæ auerſa & fugiens acrius certiuſq. feriet hoſtem. Ieiuniorum et vigiliarum agmen carnis ferociam obtundet. ob eam cauſſam & hæc in poſterum quietius & tranquillius fractis viribus bellabit; et triumphãtem ſpiritum ſpiritus fructus ſecuti præclarum ſpectaculum præbebunt. illud memoriæ tenendum eſt, nullã carni fidem habendam eſſe. nam qui ſe cum carne pacem pepigiſſe putant, inſidioſiſſimum bellum pacis nomine inuolutum intra ſe alunt, perditamq. & rebellem ſeruam in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtituunt. quare illud omnib⁹ perſuaſum eſſe debet, qui adhibendis uoluptatibus carnem inteſtinum & domeſticum hoſtem fouerint, eos ab amittendo regno cœleſti non procul abfuturos; eos autem id obtenturos, qui pietate imbuti eã coercuerint, atque repreſſerint, & Pauli præceptum ſecuti cum cupiditatibus in crucem egerint. Id S S. Dominici & Franciſci exemplo facilè diſcemus. quorum ſi vitæ decora percurramus, eos ſpe pacis excluſa, cum carne continenter dimicaſſe

comperiemus, & menti quàm carni ſeruire maluiſſe intelligemus.

Dominicus natione Hiſpanus vir ſanctitate & doctrina clarus Calaroga, quod eſt Oxomenſis diœceſis opidum, patre Felice & matre Ioanna ex ampla Guſmanorum familia natus eſt: cùm mater prægnans hunc aluo contineret, ſomniauit ſe catulum, qui in ore faculam ardentem inſertam haberet geſtare. hoc nocturno matris viſu ſignificabatur, puerum eſſe conceptum, qui doctrinæ ſuæ ſplendore totum mundũ illuſtraturus, & prædicationũ ardore ad rectè uiuendum incenſurus eſſet. res ſomnium cõprobauit: is enim a teneris ſtatim, omnibus, qui ingenij indolem cognoſcebant, magnam pietatis & doctrinæ ſpem attulit. cùm extrema pueritia in celeberrimo Palentiæ gymnaſio, literarum ſtudijs operam daret, nõ modò doctrinæ gloria præſtitit, ſed etiam cùm caritate annonæ ciuitas premeretur, ipſe vendita ſupellectili, multorum egeſtatem ſuſtentauit. huius rei fama quanquam diligenter a Dominico compreſſa eſt: tamen in dies in Hiſpania creuit, & ad Didacum Oxomenſem Epiſcopum virum ſanctiſsimum grauiſ-

ſimumq.

ſimumq. perlata eſt. quibus ille rebus adductus in Canonicorum collegium Dominicum aſciuit. quo facto Dominicus pietatis & religionis ſemina, quæ eius ingenio innata erant, accuratius colere, corpus laboribus conficere, animam continentibus rerum diuinarum meditationibus exercere, tum omnem diligentiam abhibere, vt quæ a Domino præcepta erant, obſeruaret. Etenim & corporis & animæ ſua cuiuſq. ſunt officia, quorum exercitationes, ſi inter ſe congruentes ſint, vtriq. ſalutem pariunt. corpus ita afficiendum eſt, ut animæ imperio, quæ tanquam Domina omnium & regina præſidere debet, obtēperet: quæ anima, duce fide, & comite ratione, deligat, corpus exequatur. quòd ſi corpus appetitum ſequi malit, ieiuniorum & vigiliarum tanquam vinculis vinciendum et conſtringendum eſt. at Dominicus etſi ſe totum a corporis voluptatibus abſtraxerat, cupiditatūq. & æmulationum expers cogitationibus in cælis verſabatur: tamen ne qua via hoſtilibus inſidijs pateret, ieiuniorum & vigiliarum crebritate carnem ſic edomuit, atque compreſſit, vt quotidianis laboribus vix vires ſufficerent. contemptiſſimis

eſcis

eſcis & potionibus famem ſitimq. depellebat: habitabat anguſtè: craßiore arctioreq. veſtitu utebatur: cùm a frequentibus locis ſe remouerat, nudis pedibus incedebat: caloris et frigoris patiētia par: magna inerat pecuniæ contemptio. ob eam rem, omnes fere voluntariam eius paupertatem admirabantur. Omnis homo ea lege natus eſt, vt aliena ope egeat: ſed quem patientia paupertatis ornatum tenuis victus cultuſq. delectat, is neſcio quid diuini iam videtur conſecutus. qui quanquam a ſtultis paupertatē in vltimo miſeriarum ſtatu ponentibus inſanus cenſeatur; tamen verè ſapientes admiratione afficit. Etenim paupertas illa, quæ aut inertia, aut profuſis ſumptibus, aut malè gerendo negotio contrahitur, probro & dedecori eſſe ſolet: quæ verò abſtinentiæ, charitati & miſericordiæ coniuncta eſt, ea ſummam grauitatem, pietatem, & animi magnitudinem præ ſe fert. contentum deinde rebus eſſe neceſſarijs, certißimæ diuitiæ ſunt. nam qui parua & parabilia et pauca deſiderat, omnia habere cenſetur. poſtremò paupertas arrogantiam arcet; virtutes alit: bonam valetudinem tuetur: regionibus officij poſſeſſores ſuos

conti-

continet tutoſq. a latronibus et furibus reddit: humilitatis denique alumna, induſtriæ parens, magiſtra morum & diſciplina exiſtimatur: quodq. caput eſt, vt noſtræ condicionis memores & Chriſti paupertatis imitatores exiſtamus, hortatur. ſed non ſatis erat Dominico parcè, ſeuerè ac duriter ſe habere, verùm cathena inſuper lumbos conſtrinxit. hanc ne tum quidem cum incommoda valetudine vteretur, depoſuit. ea ſilentio noctis corpus affligebat; aridaq. & aſpera hæc vita ſic ei cordi erat, vt ſempiternum bellum carni indixiſſe videretur. præcipuum bellum cum hæreticis ſuſceptum habebat. ob eam rem cùm xij. Abbates Ciſtercienſis ordinis lecti eſſent, qui vnà cum legato Pontificio ad reſellendos & coarguendos hæreticos Albianos Toloſam proficiſcerentur, Dominicus ſocius & comes additus eſt. cùm de ratione conuincendi hæreticos conſultaretur, alijq. lenibus doctrinæ et hortationum remedijs, alij acrioribus pœnis coercendos hæreticos cenſerent: Dominici ſententia, quæ noſtris quoque temporibus hæreſum incendia poſſet reſtinguere, præclara exiſtimata eſt. is prauitate inſtitutorum, quæ in Eccleſiam irrepſiſ-

ſent,

ſent, certiſsimam catholicorum victoriam diſtineri aſſerebat. Quare nulla re æquè hæreticorum mentes ſanari poſſe, ac ſi Eccleſiaſtica diſciplina ad priſcos redigeretur mores; effuſi ſumptus, qui in Eccleſiaſticorum præſidum cultum fierent, circumciderentur, luxuq. ſublato liberalitati in pauperes ac frugalitati domeſticæ ſtuderetur. in ſedanda hæreſi Toloſana ſeptem conſumptis annis Dominicus vnà cum Fulcone Toloſatiū Epiſcopo, a quo is mirificē obſeruabatur, Romam profectus eſt. Dies noćteſq. ut ante demōſtrauimus, Dominicus agitauerat animo, vt poſt habitis delećtationibus humanis, & ſublata in humeros cruce, in pietatis officijs aſsiduè verſaretur. id inter hoīum celebritates haud commodè fieri poſſe animaduertebat, vbi multis naturæ blandimentis, & corruptelarum illecebris animi ad mala ſtudia facilè traducerentur. rurſum non ignorabat omnem vitæ inſtitutionem adiumenta hominum deſiderare, ſolitudinemq. fraternæ charitati minimè ſeruire, quæ non propriam tantum, ſed etiam proximi vtilitatem ſpećtat. hæc deliberanti optimum viſum eſt. paucorum ſodalitatem inſtituere, qui pietate præ-

ſtarent,

ſtarent, quiq. animos a mundo ſeuocare, altaq. et diuina ſpectare, prædicandoq. religionem propagare; & bonos mores ſerere poſſent. omnibusq. in commune collatis, cùm iis continenter, ſobriè, & piè vitam traducere: ita vnius eos corporis fore, et de omnibus rebus facilius conſenſuros, ſi iiſdem legibus, iiſdem inſtitutis aſſueſcerent. ea re conſtituta, huius ſociabilis conſortionis, quæ et ipſis ſocijs & alijs ſalutaris futura erat, Dominicus ab Innocentio III. Sum. Pont. confirmationem poſtulauit. Quòd verò ſummis & ſapientibus viris nouitates inuiſæ & ſuſpectæ ſunt, multæq. ſocietates temeritate quadam, vel repentino animi impetu initæ cum dedecore ſoluuntur, tempus ad deliberandum ſumptum eſt. interim Dominicus ad ſuos reuerti iuſſus, & certiorem viuendi formam ſtatuere. interea Innocentius deceſſit, et ab Honorio III. qui proximus Innocentio ſucceſſit, inſtitutus ordo auctoritate Apoſtolica comprobatus eſt. Eodem fermè tempore Franciſcus Aſiſinas Romam peruenerat. is Aſsiſii in Vmbria natus patrio inſtituto mercaturam fecerat. poſtea cùm ex morbo, quo grauiter laborauerat, euaſiſſet, pietatis & charita-

tis officijs ardentius ſeſe dedidit. verùm pecunijs, quæ in eius poteſtate erant, pauperibus erogatis, in patris offenſionem incurrerat: a quo in Epiſcopi Aſiſinatis conſpectum ductus, paternis bonis, quæ ad eum iure hæreditario veniebāt, cedere coactus eſt. non multò poſt, cùm illud Euangelicum in Eccleſia audiſſet: Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: vitæ ad eā normam dirigendæ curam haud diſtulit: ſicq. paupertatis ſtudio incenſus eſt, vt quæ æmulatio parandarum diuitiarum alios tenere ſolet, hunc ea adipiſcendæ paupertatis teneret: & cùm aliquē ſe egentiorem vidiſſet, cum eo cultus humilitate, victusq. tenuitate, & omnium rerum anguſtijs certare conaretur. duodecim autem viris, in quibus eadem ſtudia eædem voluntates erant, ſibi in ſocietatē adiunctis, depoſitis calceis, vnica tunica cōtentus, ordinis, quem Minorum appellant, auctor fuit. inde Romam MCCVIII. ſe contulit, vt eius ordinis regula auctoritate Apoſtolica confirmaretur. eius petitio ab Innocentio III. primò reiecta eſt. inde cùm Sum. Pont. in ſomnis Franciſcus collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſuſtinere iuſ-

viſus eſſet, is eum conquiri, & ad ſe adduci iuſsit. adductum benignè accepit, ordinisq. inſtitutam rationem comprobauit. ea re impetrata cum Franciſcus Romæ verſaretur, morum ſtudiorumq. ſimilitudo eum Dominicumq. vnum in locum facilè contraxit. multa iucundaq. conſuetudine inter ſe coniuncti ſunt, quæq. ad incrementum diuinæ gloriæ, & ad communem utilitatem, priuatamq. continẽtiam excogitauerant, contulerunt. cùm mutua exhortatione vterque in ſua ratione firmior, & in tuenda re Chriſtiana munitior videretur, cœnobiaq. Romæ ſui quiſque ordinis ſtabiliſſet, ad illuſtrãdum diuinum nomen, augendumq. ſuũ quiſq. ordinem diuerſas in orbis terrarũ regiones digreſſi ſunt. Martyrÿ ſtudio vterq. flagrabat. cùm Dominico cruciatuum & ſuppliciorum acerbitates aliquando minaciter denuntiarentur, niſi ſuſceptis prædicandi, & obiurgandi rationibus deſtitiſſet, vtinam, reſpondit, talẽ gloriam meritus eſſem: ſed nõ eos meos labores eſſe intelligo, vt martyrÿ ſplendore decorandi ſint. itaq. cùm ÿs ſaltibus, quos inimicos obſediſſe, et ubi inſidias locaſſe audiebat, iter faceret, tãta ſpe & expectatione martyrÿ fereba-

tur, vt & canere & exultare gaudio cogeretur. Franciſcus itidem martyrij cupiditate adductus nulla tempeſtatum aut ſalutis habita ratione, ad Soldanum Babiloniæ regem in vltimas prope Syriæ terras tranſmiſit. acerbiſsimum tum bellum & inexpiabile Soldano cũ Chriſtianis intercedebat, tantoq. odio Chriſtiani nominis animus Barbari efferatus erat, vt pro ſingulis cæſorum Chriſtianorum capitibus ſingulos aureos præmium perſolui iuberet. Franciſcum caſtra Soldani ingreſſum, Soldani milites circunſiſtunt, comprehenſumq., & ſæuiſsimè verberatum ad Soldanum perducunt. Expectabant omnes, ut repente ad ſupplicium traderetur. at ille ingenij ſuauitate tantam a Soldano ſibi gratiam conciliauit, vt ſolutus cum Soldano familiariſsimè viueret, benigneq. haberetur, & liberè in caſtris verſaretur. cum parum in tradenda fide catholica ſe proficere perſpiceret, quòd Soldanus a falſa religione diuelli non poſſet, in Italiam reuerſus eſt. breui ſpacio interiecto, Marochium Mauritaniæ vrbem traijcere conſtituit, vt Miramolinum regem, quiq. in eius ditione erant, Chriſtianis inſtitutis erudiret, et fidem Chriſtianam in

vltimos terrarũ fines propagaret. longius progreſſum a negocio gerendo aduerſa valetudo in Hiſpania tenuit. Peragratis tandem a Dominico Hiſpania, Gallia, & Italia; a Franciſco Syria, & itidem Italia anno poſt Chriſtũ natum Mccxviij. Bergomi vterq. dicitur cõſtitiſſe. Qua vrbs in occidẽtem ſolem vergit, collis eſt editus ab alio colle pari fermè altitudinis faſtigio, mediocri interiecto ſpatio ſeiunctus & circũciſus, vrbiq. imminet. inde quà in meridiẽ et orientem occidenteq. ſolem ſpectat, in latiſſimam planitiẽ, et in vrbẽ proſpectus eſt. tribus ferè ex partibus apricos colles vitibus et arboribus frugiferis conſitos, crebriſq. ædificijs diſtinctos habet. ad ſeptentrionem loca dura cultu, & caſtaneis ſiluiſq. frequentia ſubÿciuntur. ibi æſtiuis diebus Bergomates cùm vrbanis negocijs defeſſi ſunt, viridi opacaq. via, & frigidarum vallium flexibus, concentuq. auium amœna, inambulare, et interdum acquieſcere, lociq. iucunditate, & ſalubritate cæli ſe recreare conſueuerunt. extremæ & ſilueſtri huius lateris parti iuga, quæ nonnullis in locis longius porriguntur, ſubſunt. Hæc et temperatiora ſunt, & qua in orientem ſolem vergunt, vitibus

ve-

veſtita et fructuoſa. ab ſacello, quod ibi antiquitus ſitum erat, & S. Magdalenæ dicatum, Capella ſummo tumulo nomen eſt. qua collis paulò ſummiſſiori faſtigio oritur, lõgiusq. in meridianam regionem pertingit, ibi aliud ſacellum extructum eſt, S. Vigilio conſecratum. ab tergo eius collis, ima in valle, quam Aſtinam appellant, antiquum cœnobium monachorum, qui S. Benedicti ordini adſcripti ſunt, poſitum eſt. Dominicus et Franciſcus infrequentia loca ſecuti primùm ſe in hunc mõtem contulerunt. Dominicusq. in S. Magdalenæ ſacello, Franciſcus in S. Vigilij conſedit. Temporis magnam partem, quo Bergomi manſerunt, diurnis nocturnisq. precibus & contemplationibus tra ducebãt. Dominico ſacrum Miſſæ facienti Franciſcus præſtò erat: contra Dominicus Franciſco intentiori animo obſecrationes inſtituenti aderat; ſtatas preces alternis verſibus recitabant; mutuisq. officijs ſe ſuſtẽtabant. Interdum Ioannem, qui tum duodecimus a primo Abbate cœnobio monachorum vallis Aſtinæ præerat, adibant, præclarosq. & iucundos de rebus diuinis ſermones cõferebant. in vrbem ſæpius deſcendebant, & non ſolùm permit-

ten-

tente, ſed etiam rogante Ioãne Tornello Epiſcopo, crebris concionibus Bergomates ad pietatem & religionem excitabant. In vniuerſo hoĩum genere magnæ cernũtur ingeniorũ diſsimilitudines, aliasq. gentes viribus & animi ferocia ad bellandũ, alias acutis & acribus ingenijs ad perdiſcendum, alias calliditate ad ſimulandum, diſsimulandumq. & præripienda aliorum conſilia valere intelligimus. Bergomatibus leniora ingenia & faciliores mores natura largita eſt. quibus hæc naturæ bonitas ſiue a ſtirpe generis, ſiue conſuetudine, ſiue diſciplina, ſiue cæli tẽperatione ingenita eſt, hi ad colendã religionẽ procliues eſſe cõſueuerunt. Quare Dominicus et Franciſcus ſuorum laborum lætos & vberes fructus ſtatim ceperunt, quòd plurimos a peccandi cõſuetudine ad uitæ benè ſanc̃teq. agendæ ſtudiũ reuocarunt; quiq. ad Chriſti diſciplinam erant eruditi, eos in ſua ratione confirmarunt. breui tantum ponderis illorum auc̃toritas habuit, vt non ſolùm eorũ monitis vulgò libẽtiſsimis animis obtemperaretur, ſed duo templa cum adiacentibus domiciliis publico conſilio aſsignata ſint: vbi vterq. ſui quiſque ordinis collegium inſtitueret. horũ alteri, quod prius

S. Ste-

S.Stephano Protomartyri dicatum erat, S Dominici nomen poſteri impoſuerunt: alterum, quod S.Io.Baptiſtæ ſacratũ erat, S.Franciſci appellatione celebratum eſt. vterque locus & operis amplitudine et virorũ, qui in eos ordines ſe adſcribi voluerunt, eruditione & pietate floruit. quod.n. in oĩbus ſodalitatibus conſtituendis, & conſeruandis præcipuum & maximum eſt, Dominico & Franciſco eorumq. ſucceſſoribus curæ fuit: vt quamplurimi ingenio & pietate excellentes viri ad rerum diuinarũ cognitionem exercitationemq. inſtruerẽtur. ac tum primùm Bergomi ex vberrimis Dominici ſermonibus cum multi alii pii & religioſi extiterũt, tum præcipuè Gualla Rumonius, & Pinamons Peregrinus: qui ab omnibus alii negociis expediti ad Dominicanam diſciplinam ſe applicauerunt. Gualla poſtea in eo ordine præclarus fuit, dignusq. habitus eſt, qui cœnobio, quod Dominicus Brixiæ conſtituerat, præficeretur, Priorisq. nomine, quod præſidem ſonat, decoraretur. in eo munere non modò ab iis, quibus præerat, dilectus, & cultus eſt, ſed etiam ciuibus Brixianis gratus acceptusq. fuit; propterea quòd egentium patrociniũ

ſum-

ſumma in difficultate rei frumentariæ ſuſceperat, viduarumq. & orborum puerorùm impendentibus periculis, vel cum dimicatione capitis ſubuenerat; nihilq; aliud niſi publicum commodum ſpectare videbatur. mortuo Alberto Epiſcopo Brixiani concilio conuocato, & Guallæ dignitati & ciuitatis vtilitati proſpiciendum cenſuerunt. eam ob cauſſam a Gregorio ix. Sum. Pont. omnibus precibus efflagitarunt, vt Guallæ, cui magnæ curæ ſalus ciuitatis fuiſſet, Epiſcopatus mandaretur. id nō modò impetratum eſt, ſed exiguo temporis ſpacio interiecto, cùm recentium meritorum gloria eū commendaret, legatus Apoſtolicus lectus eſt, eiq. Gallia Ciſalpina prouincia decreta. eo recōciliatore et diſceptatore inimicitiæ, quæ Patauinis cum Taruiſianis intercedebant, quæq. ad vtriuſq. partis perniciem erupturæ videbantur, non ſolùm extinctæ ſunt, ſed ad amicitiam conſuetudinemq. traductæ. Hæc ex Patauinorum monumentis patent. expleto legationis munere, ſiue negociorum tædium, ſiue contemplationum & patriæ deſiderium Guallam cepiſſet, depoſito Epiſcopatu, quem annos xiiij. ſanctiſſimè rexerat, Bergomum reuerſus eſt. a Bergo

matibus tanto honore eſt exceptus, quantum eius virtuti ac meritis deberi exiſtimabant. ille conſalutatis amiciſſimè ſuis popularibus, receſſus ac perfugij alicuius cupidus, vbi quod ſupererat vitæ, in rerum diuinarum contemplatione conſumeret, in cœnobium vallis Aſtinæ ſeceſſit. ibi procul cœtu hominum cum Monachis in perennibus rerum cæleſtium ſtudijs ſenectutem egit; amplificandiq. domicilij, vbi Monachi habitabant, auctor fuit. In grauioribus etiam rebus eum ex cœnobio Bergomates accerſebant. quare vt SS. Fauſtini & Iouitæ tranſlationi Brixiæ interfuiſſe cognouerant: ſic cùm templum S. Stephani laxare & magnificentiſſimum facere decreuiſſent, Guallam ad ponendum primũ ſundamentorum lapidem adhibuerũt. cùm ſenex deceſſiſſet, in æde eius cœnobij ante altare S. Martini ſitus eſt. Pinamons verò Peregrinus patre Iacobo ortus, genere & diuitijs clarus fuit, iurisq. ciuilis & pontificii, & ſacrarũ literarum peritiſſimus habitus eſt. is præ religionis ſtudio contemptis rebus humanis Dominico operam dedit, & Dominicanum habitum ſumpſit. Guallamq. continentia, pietate, liberalitate in pauperes

atq.

atq. omni virtutum genere æquauit. Iam collatione pecuniæ opus illud ſanctiſſimum & pium exurgere ceperat, cui Conſortio Miſericordiæ nomen inditũ eſt. nõ ſolũ id regentibus fortunas ſuas, quas pauperibus diſtribuerent, reliquit, ſed etiam leges quibus Conſortium adminiſtraretur conſcripſit, ſanxitq. vt XIIII. ex ciuibus, quorum integritas, pietas, & religio plurimùm commendationis habe ret, huic præeſſent. quòd verò magnum Conſortii firmamentũ in poſterum fore ducebat, ſi adminiſtrationis diuturnitati modus ſtatueretur, lege cauit, ne id munus plus quàm annuum eſſet, vel ſummum, ne plus quàm biennium continuaretur: verùm antequàm id tempus exiret, præſides ſibi alios ſublegerent. ne quid autem contra diuinas leges cõmitteretur, huius rei onus vni ex Canonicis impoſitum eſt, Conſortiiq. patrocinium permiſſum. hæ leges ad hanc diem Bergomatum auctoritate & ſumma voluntate valuerunt. Res etiam geſtas S. Alexandri, S. Gratæ, SS. Firmi & Ruſtici, & Cathedralis Eccleſiæ ritus & cerimonias perſecutus eſt: ſed inculto et impolito dicendi genere vſum videmus. ea tempeſtate barbaries ingens tota Ita

lia ſe diffuderat. quare conſultonè exiguis verborum & ſententiarum ornamẽtis ſcripta ſua diſtinxerit, vt quæ ſcribebat, intelligerentur facilius; an id fuerit eius ætatis vitium, vt deleto latinæ linguæ vſu, inelegantius loquerentur, & ſcriberent, parũ compertum habemus. Pinamons quadraginta fermè annos Cœnobio Dominicano Bergomi ſumma cum laude præfuit, atque eius ductu locus illæ ſacræ doctrinæ & pietatis domicilium habitus eſt. ſed nõ ſolùm Bergomi complures Dominici et Franciſci diſciplinã & mores imitati ſanctiſsimè vixerunt, ſed aliis item in locis tanquam ex eorum ludo magna excellentiſsimorum virorum copia emanauit: qui in ſacræ doctrinæ ſtudiis præclarè verſati ſunt: neque quicquam tam obſcurum aut abditum fuit, quod non illi perſpexerint et illuſtrarint. Hinc innumerabiles iidemq. eruditiſsimi & eloquentiſsimi concionatores fluxerunt: qui ſuſcepto pietatis patrocinio, Euangelium toto terrarum orbe diſſeminarunt: qui ita ſuggeſtis digni erant propter dicendi grauitatem et copiam, vt propter vitæ integritatem ſanctitatemq. ſummis honoribus digniſsimi haberẽtur: qui ſpiritus ſancti oracula ita uer-

bis

bis explicarunt, vt eos, qui audirent, quocunq. vellent, impellerẽt. quæ quo maior erat vis, hoc eſt magis probitate iuncta, ſummaq. prudentia. hinc denique magnus numerus ſanctorum Martyrum, Confeſſorum, et Virginum extitit, qui omnia poſteriora gloria cæleſti habuere. vtriuſque magnũ paupertatis orationisq. ſtudium fuit, ſingularis humilitas, incredibilis abſtinentia, eximia patientia, memorabilis ſimplicitas, admirabilis mundi contemptus, inuſitata, inauditaq. obedientia. miraculorũ ſplendore vterq. præſtitit. Dominicus tres mortuos ad vitam reuocauit: Franciſcus viuus ſic rebus mirificè geſtis nobilitatus eſt, vt interdum non ad neceſsitatem, ſed ad iucunditatem præſens Dei auxilium ei oblatũ videretur. mortuus itidem miraculorũ magnitudine floruit. cùm in montis Aluerni ſolitudinem ſeceſsiſſet, quadragintaq. dies ieiunio, oratione, & vigilijs traduxiſſet, feſto die Exaltationis S. Crucis, vnus ex Seraphicis ſpiritibus è cælo delapſus, & in corde mirabilem excitauit ardorem, et clauorum effigiem, quibus Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, manibus et pedibus impreſſam reliquit. Hæc poſtea oĩbus admirationi &

ve-

venerationi fuit. Dominicus poſt longos labores propaganda religione ſuſceptos Bononiæ conſtitit. ibi in morbum incidit, cùmq. ſuos ad charitatem, humilitatem, & paupertatem cohortatus eſſet, anno Mccxxiij. vita exceßit. Gualla ſecũdum quietem Dominicum à Chriſto eiusq. parente Maria in cœlum ſublimem ferri viderat. id cùm nõ fortuitum aut ſomnij ſimile exiſtimaſſet, diuinoq. admonitu ſibi nunciari arbitraretur, Dominicum prope diem ex hac vita in cæleſtes ſedes migraturum, Bononiam proficiſci maturauit. morienti interuenit, & eius funeri, quod omni honore & meritis laudibus celebratum eſt, interfuit. Franciſcus biennio poſt accepta ſtigmata Aßiſii morbo implicitus in ædem S. Mariæ Angelorũ ſe deferri voluit. ibi fratres ad paupertatem ac patientiam, & S. Romanæ Eccleſiæ fidem cohortatus, dum illum Pſalmi verſiculum pronunciat: Me expectant iuſti donec retribuas mihi, ſpiritum Deo reddidit iiij. nonas Octobris. Hunc miraculis clarum Gregorius nonus Pont. Maximus in Sanctorum numerum retulit.

DE

DE S. BERNARDINO CONFESSORE.

DVabus potiſſimum veritatis rationibus perfectum Chriſtianæ uitæ curſum comprehendi ſemper exiſtimatum eſt. quarum altera literis & doctrina, altera vſu et eorum, quæ percepta eſſent, exercitatione conſtaret. illa acutè intelligendi & copioſe loquendi præcepta; hac rectè viuendi, recteq. agendi exempla continerentur. in illa verba penderentur; in hac res ſpectaretur. illa atramento mutis literarum monumentis mandata; hæc S. Spiritus oraculo viuis cordis tabellis conſignata eſſet. Quarum ſocietas & cognatio ſi ſeiungeretur, illa ſcientiæ oſtentatio; hæc lex vitæ putaretur. quòd ſi etiã alterutra optanda eſſet, ineruditam bonitatem, quàm oſcitantem doctrinam prudens quiſq. mallet. ſed ſi ad doctrinam eximiam atq. illuſtrem conſtans probataq. vita acceſſiſſet, tum illud præclarum atque cæleſte ſoleret exſiſtere. Quod igitur S. Bernardi-

nus rerum diuinarum cognitionem cum ſanctiſſimis vitæ inſtitutis ſemper cõiunxit: quantùm theologia integritate & pietate inſtructa excellat, in huiuſcemodi perſona perſpiciendum eſt.

Bernardinus Senis in Hetruria Tullo & Nigra nobilibus & pijs parentibus genitus eſt anno Mccclxxx. natali die B. Mariæ virginis. ſtatim vt in lucem ſuſceptus fuit, matre, cùm ſeptennis eſſet, patre orbatus eſt. ob eam cauſſam pupillus relictus ſub tutela Tobiæ matertera religioſiſſimæ, & antiqui moris fœminæ educatur. huic non ſecus ac ſi eum enixa eſſet, in primis curæ fuit, vt optimis moribus, & liberalibus pijsq. diſciplinis imbueretur. magni refert, quos quiſq. audiat domi quotidie, quibuſcum ſit domeſticus vſus, & conſuetudo a pueris, quibus inſtitutis, parentes pædagogi, nutrices vtantur. id verum eſſe ex Bernardino cuiuis cognoſcere licuit. nam cùm a natura nimiam quãdam ſeueritatem habuiſſet, artificio et ſtudio materteræ naturalis hæc vis ſic temperata eſt, vt et ſine arrogantia grauis eſſe videretur, & ſine ſegnitia uerecundus. præcipuo ſtudio ſubleuandorũ pauperum, quod eſt diuinorum præceptorum præſtan-

tiſ-

tiſſimum, tenebatur. non ſolùm præcepta ieiunia diligentiſsimè ſeruauit, ſed etiam diebus ſabbathi, B. Mariam virg. cui ſe excellenti religione obſtrinxerat, hoc eodẽ pietatis officio præcipuè coluit. Huc eximia doctrina acceſsit. tam acri memoria erat, ut non ſolùm quæ ſecũ cõmentatus eſſet, ea ſine ſcripto, verbis eiſdem redderet, quibus cogitaſſet: verum etiam quæ in concionibus auribus percepiſſet, ea eodem ordine verborum & ſententiarum, iiſdẽ oculis, eadem voce, eodemq. geſtu recitaret. caſtitate præterea & omni moderationis laude illuſtris erat. quare ſi quando æqualibus inuerecundius aliquid loquentibus interueniret, facto ſtatim ſilentio alius alij inſuſurrabat, Bernardinus adeſt. anno Mcccc. indicto Romæ Iubileo, plurimisq., qui religionis cauſſa eò proficiſcebantur, Senas diuertentibus, ex concurſu mixtorum omnis nationis hominum, peſtilentia ingens hanc vrbem inuaſit. cùm curatio et contactus ægrorum morbum vulgaſſet, quotidianaq. funera, & mors ob oĩum oculos eſſet, & vndiq. ploratus audiretur; vis morbi præcipuè per miniſtros Xenodochij, cui Scalarũ nomẽ erat, uagata eſt. alijs eo morbo abſũptis, alijs conterritis

ac dilabẽtibus, ægri, quibus nuſquam receptus erat, neglecti, deſertiq. moriebãtur. ea re perſpecta Bernardinus, non funeribus, non tabe, aut peſtifero odore, non inſanabili pernicie deterritus eſt, quin eò ſe conferret, periculoſiſſimũq. hoc curandi munus obiret. ſecũ præterea æqualiũ gregem charitatẽ eius ſanctiſſimè æmulantium traxit. Xenodochiũ ingreſſus, primum ſacerdotes, qui ſacramenta miniſtrarent, acciendos curauit. ipſe deinde medicinas peſtilentia laborantibus proprijs manibus adhibere cœpit. Glãdularum peſtiferarũ aliæ bubonum, aliæ carbonum nomine appellantur. Bubones inſtar nucis prope inguina aut ſub axillis, carbones eadem magnitudine in reliquis fermè corporum membris oriuntur. inſanabilis hæc morbi vis paullò ante Iuſtiniani Imperatoris mortẽ anno circiter D lxvij. primùm Italiam inceſsit. vtrunque glandularum genus Bernardinus incidere aut exurere, inciſa aut exuſta curare, neceſſaria ſuggerere, hosq. & alios dubiæ ſalutis ægrotos, aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuare: tandem ſiue grauiore anni tempore circumacto, ſiue quod magis eſt veriſimile, diuini numinis ira placata, & peſtilentia remiſit,

& corpora ſalubriora eſſe cœpere. ipſe verò in febrim magis longã quàm periculoſam incidit. Hac releuatus recreatusq. ſe penitus Deo dicare, et abiectis huius ſeculi curis in pietatis officijs verſari, omniaq. charitatis regula metiri conſtituit. in primis, vt ſtabilibus & ſempiternis rerum cæleſtiũ copijs ditaretur, terrenas & fluxas opes, quæ ei oneri quodam modo erãt, pauperibus dilargitus eſt, maximasq. & certiſsimas diuitias immortalitatem eſſe duxit, quæ nec eripi, nec ſurripi poſſet, nec vlla temporum varietate amitti: quam qui aſſecuti eſſent, ſoli res verè fructuoſas & æternas poſsiderẽt. Ordinem deinde minorũ ingreſſus eſt. ibi ſic pietate, conſilio, cõſtantia, ieiuniorũ et vigiliarum exercitatione alios anteibat, vt in illo antiquorũ & ſanctiſsimorũ patrum numero reponeretur, faciliusq. eius inſtituta oẽs laudare, quàm æmulari poſſent. ſpectata deinde eius doctrina id conſecuta eſt, vt ex literarum eius ſtudio non ſolùm ſcientia quædã, ſed bonitas ſumma, & charitas ſingularis nata exiſtimaretur. Cùm verò ad explicandum Euangeliũ et ad excitandas hoĩum mẽtes diuino cõſilio natus & aptus putaretur, de patrum ſentẽtia prædican-

di munus ſuſcepit, plurimasq. Italiæ partes luſtrauit. cùm Mediolani conſtitiſſet, eiusq. vitæ integritas, et dicēdi vis bonorū oīum ſermone celebratur, rogatus Bergomum ſe contulit. Franciſcani cœnobij cuſtodia ſtatim ei delata eſt. eius hortationibus Bergomates a peccatis temperarunt, certaq. et pia viuendi diſciplina, a qua iam declinatum erat, longo interuallo repetita eſt. hanc vitæ & morum mutationem magna animorū tranquillitas ſecuta eſt. Totius Italiæ inſtituto Bergomates factionum certamine ad inteſtinas diſcordias exarſerant. alij ad Guelfos, alij ad Gibellinos rem trahebant. nihil cuiquam ſanctum, aut ſatis tutum erat. obtinebat oīa cædes, nec vllam in partem erat perſugium. nō ætate confectis, non inermibus, non infantibus, non imbelli fœminarum ſexui parcebatur: omnia crudelitatis exempla edebantur. non ſolùm hæc rabies auctoritate Bernardini ſedata eſt, ſed ex infeſtiſsimis hoſtibus fideles ſocij Bergomates inter ſe facti. Intra vrbis mœnia templum, cui Virgines moniales inſeruirent, Bernardino auctore conditum eſt, & S. Mariæ, cui Roſarum cognomen indiderunt, cōſecratum. pro Bernardini item merito, Petrus

Alzanius domuncula et agello dimidij iugeri, qui ſub vrbe eſt, anno Mccccxxiiij. Minorum ordinē donauit. eius rei adhuc monumentum extat a familia Alzania ad declarandam maiorum pietatē ſeruatum. ibi alterum templum ædificatum, quod S. Mariæ itidem dicatum gratiarum nomine inſigne eſt. ibi item cœnobium, quod poſteri perfecerūt, inchoatum. ante templum quercus S. Bernardini manu ſata fuit; quæ ita creuit, vt proceritate & craßitudine quercuū naturam vincere putaretur. ea ætate noſtra vento a radicibus eruta, et dißipata eſt, & eius materies in varijs cœnobij vſibus conſumpta. nō longè ab eo loco Bernardinum prolapſum cecidiſſe ferunt, famaq. tenet, vbi manus, qua aſſurgendo nitibatur, extenſa eſt, ibi ad numerum digitorum, quinque locis fonticulorum ſcatebras emicuiſſe. aucta in vrbe mirum in modum religione, Bernardinus agrum Bergomatem cohortando ad pietatem, Euangeliumq. interpretando obijt. in Valle Seriana opidum eſt Cluſonum frequens ac celebre, caputq. ferme totius regionis. dū ibi predicādi officio fungens paucos moratur dies, factum eſt, vt non procul ab opido montanus qui-

dam

dam vita excederet. triduo poſtquam ſepultus eſt, immūdi ſpiritus vox ex ædibus exaudita eſt, animam mortui illius ſimulantis, et plurima bona patriſamilias, ſi ſibi paruiſſet, pollicentis. Rebelles et inuidi ſpiritus in id præcipuè incūbunt, vt in eandē calamitatē, in quam quondā ipſi ſuperbia elati inciderunt, quāplurimos trahant: idq. illis facilè ſuccedit, ſi ſe per omne obſequium inſinuare in animos incautorum, & fouenda ſpe honorem, qui ſummo Deo debetur, ad ſe traducere poßint. verùm prudentes Dei miniſtri diabolicas artes optimè agnoſcunt, & ne pro veris, quæ illi fallaciter pollicentur, audiantur, efficiunt. itaque nuncio Cluſonum de hac re allato, Bernardinus veritus, ne quis in fraudem laberetur, plurimis proſequentibus eò contendit, & in ædibus incluſus, commiſſo cum hoſte certamine, non prius deſtitit, quàm eum domo illa eiecit. cùm Bergomi annos xxiiij. verſatus eſſet. eiusq. prædicatio omnibus in locis plurimum commendationis haberet, eiq. cum reliqui omnes fidem haberent, tum Sum. Pontifex cum admiratione quadam dignum honore iudicaret, iterum ac tertiò eum amplißima Epiſcopatus dignitate

or-

ornare voluit. Bernardinus ratus ſe fructuoſiorem Chriſtianæ reipub. aptioremq. ad ſempiternæ vitæ adeptionem fore, ſi ſe inglorium ſeruaſſet, eam dignitatem ſemper recuſauit. tandem vita per omnem ætatem ſanctiſſimè acta, in vrbe Aquila decedens, ad cæleſtes ſedes migrauit. eiusq. corpus ibi magnificè ſepultum eſt: isq. a Nicolao V. Summo Pontifice ſanctorum numero adſcriptus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EORVM NOMINA, QVOS IN ſcribenda hiſtoria auctor ſecutus eſt, hic infra traduntur.

S. Ambroſius Doctor.
B. Adalbertus Epiſcopus Berg.
S. Antoninus Archid. Floren.
Bartholomæus Oſſa Berg.
Blondus Floren.
Euſebius Epiſcopus Cæſarien.
Nicephorus hiſtoricus.
Franc. Bellaſinus Bergom.
Hieronymus Doctor.
Hiſtoriæ, quæ in antiquis Breu. continentur.
Io. Maria Mediolanẽſis canonicus regularis.
Iacobus Tirabuſcus.
Iacobus Philippus Berg.
Iacobus Gualla Papienſis.
Michael Cararia.
Platina.
Pinamons Peregrinus Dominicanus Berg.
Paulus Diaconus.
Pampertus Epiſcopus Brixien.
Petrus Galeſinius.
Priuilegia annalia, Monumenta antiqua, & Epitaphia.

7—20